AUTHOR:

ZAHN, THEODOR

TITLE:

HERMAE PASTOR E NOVO TESTAMENTO ILLUSTRATUS

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1867

Master Negative #

92-80521-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Zahn, Theodor, von, 1838-1933.
Hermae Pastor e Novo Testamento illustratus, pars prior. Dissertatio quam ... submisit Theodorus Zahn. Gottingae, Huth, 1867.
52 p. 22 cm.

Thesis (Theology). Göttingen.


Volume of pamphlets

78356

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm
REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-1-92
INITIALS WJC
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910


301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.



HERMAE PASTOR

E NOVO TESTAMENTO ILLUSTRATUS.

PARS PRIOR.

DISSERTATIO

QUAM

ORDINIS THEOLOGORUM SUMME REVERENDI

IUDICIO

AD LICENTIATI IN THEOLOGIA HONORES

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDOS

17

SUBMISIT

THEODORUS ZAHN.

GOTTINGAE,

EX OFFICINA ACADEMICA E. A. HUTH.

MDCCCLXVII.

Praefatio.

Aliam ob causam, quam quae hodie scribendi mihi imponit necessitatem, volventi mihi nuper per aliquot dies Hermae librum, qui Pastor inscribitur, et perscrutanti ea, quae ad illustrandas hujus scriptoris sententias quum prioris tum nostrae aetatis homines docti contulerunt, mirum visum est, quod inter tot viros industria et sagacitate insignes nemo accuratius inquisiverit, quorumnam novi testamenti librorum usum ac consuetudinem exhibeat et qualem liber iste, Justini martyris apologia utraque, sicuti plerisque placuit, vetustior. Ut antiquiores praetermittam, inter quos Cotelerius Joannem imprimis, apocalypseos scriptorem, Hermam imitatum esse putavit [1]), Jachmannus, etiamsi libro, quem ipse primus nostris temporibus fusius tractavit, parum ingenii elegantiaeque inesse judicaverit, quam qui Joannis vestigia secutus esse dici possit [2]), tamen novi testamenti locos nonnullos congessit, quos tangere voluisse scriptorem contendit [3]). Joannis evangelium cum Matthaei et Lucae libris, Paulum cum Jacobo permixtum potius quam conjunctum ibi inveneris. Quo factum esse videtur, ut Hilgenfeldus ne perstrinxerit quidem epistolas apostolorum et Joannis evangelium, quum de Hermae Pastore sententiam primo ferret, immo eos solos, qui priorum trium evangeliorum verba in memoriam revocarent, Pastoris locos duce Angero enumeraverit; sed ne parvam quidem hanc particulam ejus, quam titulus prae-

---

1) Confer e. gr. quae ad vis. IV. adnotavit.

2) Contra Cotelerium et Lückium disputavit in pagg. 60 sqq. libri, qui inscriptus est: Der Hirt des Hermas. 1835.

3) l. l. p. 63.

scriptus significaverat [1]), quaestionis ad certum finem perduxit, cujus rei testimonium exstat elegantissima illa, quae in manibus nostris est, Pastoris editio ab ipso Hilgenfeldo paucis abhinc mensibus comparata. Multo enim pauciores, quam in libro superiore laudaverat, evangeliorum locos in margine posuit. Adjecit praeterea tres quattuorve versus e Jacobi epistola excerptos et in calce libri inter addenda et corrigenda similitudinem quandam tantum non reticuit, quae est uni Patoris sententiae cum sermone domini a Joanne relato [2]).

Quae in editionibus suis adnotaverunt Hefelius et Dresselus, legi possunt, juvant parum, quia et egent et carent explicatione. Unus, qui verba nonnulla fecit de hac re, Gaábius, disquisitionem qua opus est instituit quidem, sed non perfecit [3]). Quae res quominus juste explicaretur, multa adhuc obstabant; primum quidem Graeci textus, quo reperto nostra demum aetas laetatur, amissio ac Latinae versionis obscuritas barbariesque, tum vero ipsius libri indoles. Neque enim suam ipsius rerum divinarum humanarumque scientiam, e libris fortasse sacris haustam, verum revelationes coelestes, mandata per angelum ad se perlata, similitudines divinitus patefactas referre se profitetur Hermas, quisquis ille est. Non aliam respicit ac requirit auctoritatem praeter visionem praesentem rerum futurarum auditumque verborum Dei animo ipsius perceptorum. Hisce nisus sermonis sui fundamentis praesentem ecclesiae statum spectat, mores hominum Christianorum corrigit, exitum rerum omnium meditatur. Itaque mirum non est, quod nullum omnino s. canonis librum disertis verbis laudavit, nullius rei a Christo sive ab apostolis gestae eam fecit mentionem, ex qua facile quisque perspicere possit, unde manaverit ejus scientia. Ne ea quidem, quae in fine visionum legimus [4]), librum aliquem sacrum vel prophetarum scripta cuncta annuunt, sed eundem significant libellum, quem die superiore jussus a muliere Hermas conscri-

---

1) »Das Verhältniss des Hirten zu den kanonischen Schriften« in libro: Die apostolischen Väter 1853. p. 182 sqq.

2) Nov. Test. extra can. rec. fasc. III. Hermae Pastor. 1866. p. 176.

3) Der Hirte des Hermas. 1866. S. 113—124.

4) vis. IV, 3 extr. *μνημονεύετε τὰ προγεγραμμένα.* Cf. sim. IX, 33: haec omnia quae supra scripta sunt.

psit [1]) et quae postea adjicienda ei tradidit ecclesia [2]), ea nempe, quae in tertia et quarta visione vidit et audivit. Mandata quoque Dei non literis scripta, sed ore pronuntiata et cordibus infixa ubique memorat [3]). Liber unicus, ad quem semel revocat lectores, apocryphus est, haud magnae, quantum scimus, auctoritatis apud priscae ecclesiae doctores, nobis excepto titulo ignotus [4]). Utrum a Judaeo ante Chr. nat. scriptus sit, an a Christiano e Judaeis orto, sicuti alii libri complures, quos inter v. testamenti apocrypha veteres retulerunt, pro certo affirmari nequit. Tacet praeterea noster non modo Jesu Christi, apostolorum, sacri cujuslibet scriptoris nomina, verum etiam Elxai prophetam paene fabulosum neglexit, cujus vestigia premere Hermam, Hilgenfeldus solus opinatur [5]), et Esrae librum quartum, cujus imitatorem servilem debilemque Pastorem esse censuerunt praeeunte Fr. Lee Jachmannus (l. l. 63—67) et Volkmarus [6]).

Sui juris scriptor haberi vult Hermas, neque *γνῶσιν* illam doctam curat, cujus exemplum illustre exstat Barnabae epistola, neque doctrinae ab apostolis nuper acceptae sicuti Clemens Romanus est redintegrator [7]). Etiam quum similia dicit iis, quae ante ipsum literis mandaverunt apostoli et apostolorum socii, non disertis verbis indicat, repetere se dicta ab aliis. Unde difficilior quidem efficitur inquisitio, quae in animo est, verumtamen haud vana futilisque. Immo firmior evadet argumentatio, si talem qualem dixi scriptorem sacra n. testamenti eloquia

---

1) vis. II, 1. 2—3.

2) vis. II, 4 extr.

3) Quodsi objiciat quispiam verba *συντελέσας τὰ γεγραμμένα* (sim. V, 3), haud scio an rectius interpretemur secundum proverbium a Paulo forte usurpatum 1 Cor. 4. 6, quam secundum tales locutiones, qualis exstat Luc. 16, 31. Adhibeas licet etiam, quae paulo post sequuntur: *καὶ ἔγγραφος ἔσται ἡ νηστεία αὕτη*, quae aliam, attamen similem metaphoram exhibent.

4) vis. II, 3: *ἐγγὺς κύριος τοῖς ἐπιστρεφομένοις, ὡς γέγραπται ἐν τῷ Ἐλδὰδ καὶ Μωδὰτ, τοῖς προφητεύσασιν ἐν τῇ ἐρήμῳ τῷ λαῷ.*

5) Fortissime repetivit sententiam suam in prolegomenis ad Herm. p. XXI sqq. Nusquam virum doctum curare inveni, quod Hippolytus (refut. IX, 13) suis demum temporibus Elxai librum velut novum Romam allatum esse tradidit.

6) Handbuch der Einleitung in die Apokryphen, II, S. 285. 291 sq.

7) Iren. III, 3, 3.

ubique redolere ostenderimus. Non sectatur verba apostolorum, sed usurpat, non laudat libros sacros, sed in succum sanguinemque jam pridem haud paucos vertisse se ostendit; nonnulla pervertit pro captu suo, multas denique finxit inde opiniones prorsus singulares.

Quae quum ita sint, operae pretium facturus mihi videor gratumque iis, qui interpretando huic libro operam dedere et nunc etiam dant, si longiore, quam quae illis placuit, disputatione non sola vocabula dictaque collegerim, quae e scriptura sacra in Hermae calamum se insinuaverunt, verum etiam demonstrare coner, quid ex iis novi testamenti libris, quibus usus esse videatur, sententiae et doctrinae traxerit scriptor. Non adspiro ad laudem Semischii, quam in ventilandis Justini operibus sibi comparavit, neque induxi animum ad illustrandam, quantum fieri possit, novi testamenti historiam, ad corroborandam vel labefactandam librorum sacrorum antiquitatem; sed quaenam intercedat societas verborum sententiarumque conspicua inter Hermae Pastorem et apostolorum libros, eum in finem inquirere et exponere mihi proposui, ut simplici isti libello nec tamen facili ad intelligendum lucis aliquid affundatur. Etiamsi minime carere sua utilitate arbitrer perscrutationem ea ratione institutam, a qua lectoris benevoli judicio segregatam esse velim hanc dissertatiunculam meam, tamen hac me via ingredientem vix crederem aliquid effecisse, nisi de aetate atque origine Pastoris simul protulissem sententiam testimoniis omnibus praemunitam, aliorum quibusque argumentis respondentem, omnibus denique numeris absolutam. Quod quum fieri nequeat intra fines, quibus haec continetur disputatio, materiem interim congeram, qua alio modo uti aliis per me quidem licebit. Congeram autem universam, minime verens, ne „culicem excolare" videar lectoribus, qui quidem primi sunt, doctissimis, quum multas res proferam minimas, e quibus singulis demonstrari certe non potest, nosse ac legisse Hermam hunc illumve novi testamenti librum. Tamen praetermittere nolui; saepe enim fit, ut voces, locutiones, sententiae, ipsae nullo pacto eximiae, verum in eadem re adhibitae eademque doctrinae nexu conjunctae, multo majorem ostendant librorum sacrorum usum ac scientiam, quam singuli versus ad verbum exscripti.

Ita autem rem disponam, ut ab iis, quae in oculos occurrunt, procedam ad ea, quae in disceptationem justam vocari possint. Itaque initium disputationis non cum Gaàbio a comparandis cum Pastore evangeliis capiam, quoniam difficilior atque incertior est quaestio; incipiam potius ab epistolis apostolorum, quippe quarum nonnullas in magno habuisse honore Pastoris scriptorem, luculentissimis probatur documentis.

Caput primum.

Primum quidem locum ut Jacobi epistolae tribuamus, per ipsum Pastorem adducimur. Tam aperta enim res est, Hermam non modo nosse vel in coetu fidelium lectam audivisse hanc epistolam, verum etiam ipsum lectitasse, sententias permultas Jacobo proprias animo insculptas habere atque immiscere vel inscientem suis verbis, ut qui in omnibus fere rebus, quae ad Pastorem pertinent, toto coelo differunt, in hac re consentiant, Hilgenfeldum [1]) dico et Gaàbium [2]). Olim jam antiquus ille homo, qui catenam Graecam in epistolas catholicas confecit a Grabio in spicilegio patrum (I, p. 303 sq.) laudatam, a Cramero editam, jure suo partem aliquam mandati IX esse quandam explicationem exordii epistolae hujus cognovit et ad hunc locum transscripsit [3]). Jam igitur non est demonstrandum, imbutum fuisse Hermam hujus epistolae aliqua scientia, sed quanta fuerit et qualis, ostendendum est.

Non uno in loco, quem indicavi, exordium epistolae Jacobi resonat Hermas; totum vero mandatum nonum, quo precatio omnis dubitationis expers commendatur, est velut homilia in hunc Jacobi locum (I, 5—8) habita. Praecipua verba nonnulla transscribo.

Ἆρον ἀπὸ σεαυτοῦ τὴν διψυχίαν καὶ μηδὲν ὅλως διψυχήσῃς αἰτήσασθαι παρὰ τοῦ θεοῦ . . . μὴ διαλογί-

1) Proleg. in Herm. p. XIX.
2) Gaàb l. l. p. 121.
3) Catena in epp. cath. ed. Cramer, Oxon. 1840. p. 4.

ζου ταῦτα; ἀλλ' ἐξ ὅλης τῆς καρδίας ἐπίστρεψον ἐπὶ τὸν κύριον καὶ αἰτοῦ παρ' αὐτοῦ ἀδιστάκτως . . . . . αἰτοῦ παρὰ τοῦ κυρίου καὶ ἀπολήψῃ πάντα, καὶ ἀπὸ πάντων τῶν αἰτημάτων σου ἀστέρητος ἔσῃ, ὅσα ἂν ἀδιστάκτως αἰτήσῃς παρὰ τοῦ κυρίου. Ἐὰν δὲ διστάσῃς ἐν τῇ καρδίᾳ σου, οὐδὲν οὐ μὴ λήψῃ τῶν αἰτημάτων σου, οἱ γὰρ διστάζοντες εἰς τὸν θεόν, οὗτοί εἰσιν οἱ δίψυχοι, καὶ οὐδὲν ὅλως ἐπιτυγχάνουσι τῶν αἰτημάτων αὐτῶν· οἱ δὲ ὁλοτελεῖς ὄντες ἐν τῇ πίστει πάντα αἰτοῦνται πεποιθότες ἐπὶ τὸν κύριον καὶ λαμβάνουσιν, ὅτι ἀδιστάκτως αἰτοῦνται μηδὲν διψυχοῦντες. Πᾶς γὰρ δίψυχος ἀνὴρ ἐὰν μὴ μετανοήσῃ δυσκόλως σωθήσεται. Καθάρισον οὖν τὴν καρδίαν σου ἀπὸ τῆς διψυχίας, ἔνδυσαι δὲ τὴν πίστιν, ὅτι ἰσχυρά ἐστι καὶ πίστευε τῷ θεῷ, ὅτι πάντα τὰ αἰτήματά σου ἃ αἰτεῖς λήψῃ. Καὶ ἐὰν αἰτησάμενός ποτε παρὰ τοῦ κυρίου αἴτημά τι βραδύτερον λαμβάνῃς, μὴ διψυχήσῃς, ὅτι ταχὺ οὐκ ἔλαβες τὸ αἴτημα τῆς ψυχῆς σου· πάντως γὰρ διὰ πειρασμόν τινα ἢ παράπτωμά τι ὃ σὺ ἀγνοεῖς βραδύτερον λαμβάνεις τὸ αἴτημά σου. —

Multi quidem n. testamenti loci ad preces cum fiducia faciendas cohortantur; sed quum frustra quaesiveris peculiarem verborum domini, quae adnotavit Hilgenfeldus [1]), speciem, verborum Jacobi colorem sincerum reddunt haec omnia. Sola vox δίψυχος (ἀνήρ) a Jacobo uno inter n. test. scriptores bis adhibita (1, 8; 4, 8), huc dirigit oculos. Haud ignoro, in Clementis R. epistola priore, quam Hermae notam fuisse mihi quidem constat [2]), legi quaedam, quae conferri possint, veluti sacro libro deprompta [3]). Atqui, quoquo modo haec res sese habet, sive e libro quodam apocrypho manaverit, sive e compluribus locis, inter quos Jacobi quoque hicce enumeratur, conflatum sit dictum illud, neque in hoc, neque in alterius epistolae, quae Clementis nomen praefert, cap. XI, neque in prioris epistolae cap. XI precationis mentio facta est, in qua commendanda Hermas duce Jacobo hic quidem totus versatur. Quamquam per

1) Apostl. V. p. 183: Matth. 7, 7; 21, 22.

2) vis. II, 4.

3) cap. 23: ταλαίπωροί εἰσιν οἱ δίψυχοι, οἱ διστάζοντες τὴν ψυχήν. Cf. cap. 11. οἱ δίψυχοι καὶ οἱ διστάζοντες.

totum librum fidei, quam firmam esse fiduciam simplicemque animi in Deum directionem ubique docet, duplicitatem illam animi dubitantis opponit, ex qua pleraeque nationes dubitandi notionem traxerunt, ac praeter vocabula δίψυχος [1]), διψυχεῖν [2]), διψυχία [3]) eandem fere in sententiam crebro adhibet ea, quae his sunt similia, διστάζειν [4]), διακρίνειν ἐν τῇ καρδίᾳ [5]), διαλογίζεσθαι vel adjecto [6]) vel omisso [7]) ἐν τῇ καρδίᾳ, nusquam tamen eadem vocabula eum in modum cumulat, quam in mand. IX, ubi Jacobi sententiam animo revolvens, conditionem, sine qua precatio non exaudiatur, exponit. Quid, quod alibi Hermae rerum divinarum cognitionem quaerenti [8]) responderi legimus: ὃς ἂν δοῦλος ᾖ τοῦ θεοῦ . . . . αἰτεῖται παρ' αὐτοῦ σύνεσιν καὶ λαμβάνει . . . . ὅσοι δὲ βληχροί εἰσι καὶ ἀργοὶ πρὸς τὴν ἔντευξιν, ἐκεῖνοι διστάζουσιν αἰτεῖσθαι παρὰ τοῦ κυρίου. Ὁ δὲ κύριος πολυεύσπλαγχνός ἐστιν καὶ πᾶσι τοῖς αἰτουμένοις παρ' αὐτοῦ ἀδιαλείπτως δίδωσιν (sim. V, 4). In quibus primum quidem observandum est, sapientiae (Jacob. 1, 5) nomen omnino ignotum videri Hermae, pro quo ubique σύνεσιν (mand. X, 1; sim. IX, 15), sive ἐπιστήμην (vis. III, 8) ponit; tum vero, usitatissimas esse Pastori voces πολυεύσπλαγχνος [9]), sive πολύσπλαγχνος [10]) et πολυευσπλαγχνία [11]) sive πολυσπλαγχνία [12]), quas non inveneris usurpatas nisi ab iis scriptoribus ecclesiasticis [13]), quos usos

1) Bis in mand. IX; cf. vis III, 4; IV, 2; mand. V, 2; sim. VIII, 7. IX, 21.

2) Quater in mand. IX; cf. vis. II, 2; III, 2. 3. sim. VI, 1 (bis). VIII, 8 (bis). 9 (ter). 11.

3) Octies in mand. IX; cf. vis. II. 2; III, 7; 10. 11.

4) mand. II. IX. sim. V, 5. — ἀδιστάκτως mand. IX (bis); sim. II; IX, 24.

5) vis. I, 2. Cf. etiam μηδὲν διακρίνων (mand. II.) cum Jacob. 1. 6; 3. 17. Etiam διχοστατεῖν aliquoties in hanc sententiam vertitur e. g. sim. VIII, 8 extr.

6) vis. III, 4.

7) mand. IX.

8) Cf. Jac. 1, 5: εἰ δέ τις ὑμῶν λείπεται σοφίας.

9) et 10) mand. IV, 3. sim. V, 7 extr.

11) sim. VIII, 6. Cf. ἡ πολλὴ εὐσπλαγχνία vis. II, 2; mand. 9.

12) vis. I, 3; IV, 2.

13) In Steph. Thes. sub voce πολύσπλαγχνος et πολυεύσπλαγχνος prae-

esse Jacobi epistola constat, quas denique per totam forte Graecitatem sacram et profanam frustra quaereres, nisi exstarent Jacobi verba (5, 11): *πολύσπλαγχνός ἐστιν ὁ κύριος.* Ne minima negligam, in quibus Jacobi exordium Hermas ruminatur, non modo vocem *ἀκατάστατος*, Jacobo in n. test. peculiarem (1, 8; 3, 8) et eas, quae inde derivantur *ἀκαταστασία* (Jac. 3, 16) et *ἀκαταστατεῖν* Hermae mirum in modum placuisse video [1]), verum etiam haec inveniri: *ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος ... ἀκαταστατεῖ ἐν πάσῃ πράξει αὐτοῦ περισπώμενος ὧδε κἀκεῖσε ἀπὸ τῶν πνευμάτων τῶν πονηρῶν.* (mand. V, 2).

Imago illa Dei simplici ac benigno animo omnibus dantis a Jacobo exhibita (1, 5) plus semel a Pastore velut exemplar hominibus imitandum proponitur. In mand. II: *ἐκ τῶν κόπων σου*, inquit, *ὧν ὁ θεὸς δίδωσί σοι, πᾶσιν ὑστερουμένοις δίδου ἁπλῶς*, et vim vocis *πᾶσι* quodammodo explicans adjungit: *μὴ διστάζων, τίνι δῷς ἢ τίνι μὴ δῷς;* iterumque repetit paulo post: *ἁπλῶς αὐτὴν* (sc. *τὴν διακονίαν*) *ἐτέλεσε* (sc. *ὁ διδοὺς*), *μηδὲν διακρίνων, τίνι δῷ ἢ τίνι μὴ δῷ.* Simplicitatem, quae toto hoc mandato praedicatur, bis etiam sermo procedens flagitat in beneficiis conferendis. Quibuscum si comparaveris, quae alibi leguntur de episcopis beneficis [2]), jam non reprehendes, has quoque sententias Jacobo au-

ter unum Clementis Alex. locum, ac sub voce *πολυσπλαγχνία* praeter unum Justini locum serioris tantummodo aetatis scriptores ecclesiastici laudantur. Nisi Schleusnerus fallitur, in vet. test. non reperitur: Volkmarus vero (l. l. p. 102) nescio quo calami lapsu vel typothetae errore ad IV Esr. 7, 66 (vulg.) praeter Jac. 5, 11 laudat Ps. 103, 4. Si vers. 8 indicare volunt, ibi legitur *πολυέλεος*, quo vocabulo, et n. test. scriptoribus et Hermae ignoto, LXX interpr. plerumque vertunt רַב־חֶסֶד. Ex qua locutione hebraea ortum est et Pseudo-Esrae illud »multae misericordiae«, et Jacobi Hermaeque *πολύσπλαγχνος*. Saepissime etiam forma simpliciore *εὔσπλαγχνος* utitur Hermas, quae apud scriptores hellenisticos aliquoties reperitur (or. Man. 6. Ephes. 4, 32. 1. Petr. 3, 8. test. patr. Sim. 4. Apoc. Esr. ed. Tisch. p. 25), et verbo *εὐσπλαγχνίζεσθαι* (sim. VIII, 6; IX, 14), quod alias non inveni. Hebraismis scatere Pastorem innumerabilibus, etiam iis, quae ex usu vers. Alex. explicari non possint, et Judaeum natione inde demonstrari scriptorem, recte monuit Lipsius (Ztschr. f. w. Th. 1865. S. 270).

1) mand. II; V, 2; sim. VI, 3.

2) sim. IX, 24: *παντὶ ἀνθρώπῳ ἐχορήγησαν ἀνονειδίστως καὶ ἀδιστάκτως.* Cf. sim. II.

ctori tribui a nobis. Longe autem dissimiliora sunt, quae Hilgenfeldus ad hunc locum postremum e Siracidis libro allegavit.

Jam attigimus rationem, quae in Dei ecclesia inter locupletes homines pauperesque intercedat necesse est, quam rem saepissime tractat Hermas ita, ut Jacobi cohortationes succinctas, graves, omnimodo praeclaras fusa enarratione distrahere videatur. Sententiae Jacobi (1, 9. 10) longa est explicatio adhibitis etiam aliis ejusdem verbis in sim. II. „Altitudinem“ illam, qua pauperem laetari vult Jacobus, ulmi imagine, altae quidem sed sterilis, depingit Hermas, „humilitatem“ autem divitis imagine vitis, frugiferae quidem sed miserae et inutilis, si humum projecta adminiculo fulturaque careat. Quamobrem consociandas esse putat ulmum vitemque. Dives, qui est in hoc saeculo, e copiis abundantibus det egeno, qui dives est coram Deo ac preces pro illo ad Deum mittere potest validissimas. Simili fere modo beneficentia erga egenos in sim. V (3) humilitatis nomine ornatur. Multa quidem pietatis impedimenta divitiis inesse non Jacobi singularis est sententia, attamen vocabula ipsa, quibus Hermas utitur, fontem, unde hauserit, ostendunt. Nonne e Jacobi verbis ad divites directis: *σέσηπεν ὁ πλοῦτος ὑμῶν* (Jac. 5, 2) effinxit alteram similitudinis II. partem? Hanc dico: *Ἡ ἄμπελος .... ὃν φέρει καρπὸν σεσηπότα φέρει. Ἐῤῥιμμένη χαμαὶ σαπρὸν καὶ ὀλίγον φέρει* [1]). Nonne Jacobum interpretatur etiam illud: *Ὁ μὲν πλούσιος ἔχει χρήματα πολλά, τὰ δὲ πρὸς τὸν κύριον πτωχεύει .... ὁ πένης πλούσιός ἐστιν ἐν τῇ ἐντεύξει καὶ ἐν τῇ ὁμολογήσει .... ἡ ἔντευξις τοῦ πένητος πρόσδεκτή ἐστι καὶ πλουσία πρὸς τὸν θεόν* [2]). Judicii jamjam venturi gloriantes opibus suis et nullam egenorum rationem habentes ita commonefacit (vis. III, 9), ut iterum Jacobi (5, 1—4) interpres evadat quamvis non argutus. Male enim explicare videtur locum Jac. 4, 3 hisce verbis: *οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τῶν πολλῶν ἐδεσμάτων ἀσθένειαν τῇ σαρ-*

1) Observandum etiam est, locutiones: *βεβρωμένος* (*ὡς*) *ὑπὸ σητὸς*, (sim. VIII, 1 bis), *βεβρωμένος* (opp. *ἄβρωτος*) cap. 4 et *κεκομμένος ὡς ὑπὸ σητός* ibid., ut sunt rarae, optime convenire cum voce Jacobi rarissima *σητόβρωτος* (5, 2 cf. Job 13, 28).

2) Cf. Luc. 12, 21, quem locum posthac tractabimus una cum aliis ad evangelia priora trahendis, quae de divitiarum natura ac periculis docuit Pastor.

κὶ αὐτῶν ἐπισπῶνται καὶ λυμαίνονται τὴν σάρκα αὐτῶν. Jacobi contextum servant etiam quae sequuntur: *βλέπετε τὴν κρίσιν τὴν ἐπερχομένην* (= v. 3 extr. et 5 extr.) . . . *βλέπετε οὖν ὑμεῖς οἱ γαυριῶντες ἐν τῷ πλούτῳ ὑμῶν, μήποτε στενάξουσιν οἱ ὑστερούμενοι καὶ ὁ στεναγμὸς αὐτῶν ἀναβήσεται πρὸς τὸν κύριον* (cf. v. 4). Quintum quoque hujus capitis versum memoria tenere Hermam videris e sim. VI, 1, ubi eos, qui luxuriei totos se dederunt, ovium pingium et petulantium imagine depingit eademque gemina significatione utitur, quam praeter Jacobum adhibuisse quemquam nescimus. Si comparaveris Hermam scribentem *τρυφῶντα ἦν καὶ λίαν σπαταλῶντα* et paulo infra *σπαταλῶντα καὶ τρυφῶντα*, cum Jacobo clamante (5, 5): *ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ἐσπαταλήσατε*, solius vocabuli *σπαταλᾶν* raritas [1] suspicionem quandam imitationis movet, duplex vero utriusque verbi in eadem re occurrens usus omnem eximit dubitationem. Etiam Jacobo ante oculos versari pecudum imaginem apparet e voce insequenti *σφαγῆς*. Eximium igitur hoc alterum est exemplum ejus, quae inter Pastorem et n. test. scriptores animadvertitur, affinitatis. Imaginem paucis lineamentis iisque tenuibus ab apostolo circumscriptam late diffundit Hermas.

Longius progressi sumus a Jacobi capite primo, ex quo multa etiam alia apud Pastorem reperiuntur. Haud magni facio, quod eodem quo Jacobus (1, 15) ordine ponit *ἐπιθυμίαν, ἁμαρτίαν, θάνατον* (vis. I, 1 extr. cf. mand. XII, 2); nolo nunc inquirere, num *αἱ ἁμαρτίαι αἱ τέλειαι* (vis. II, 2) idem sibi velint, quod *ἡ ἁμαρτία ἡ ἀποτελεσθεῖσα* Jacobi; num Jacobum etiam sequatur, ubi eum, cui propter tentationem quandam (*διὰ πειρασμόν τινα*) Deus non praebeat petita, admonens: *σεαυτόν*, inquit, *αἰτιῶ καὶ μὴ τὸν μὴ διδόντα σοι* (mand. IX cf. Jac. 1, 13). Verumtamen in fine capitis gradum figo. Hermam pro temporis sui more jejunantem quondam angelus pronitentiae vehementissimis hisce verbis corripit: *Οὐδέν ἐστιν ἡ νηστεία αὕτη ἡ ἀνωφελής .... οὐκ ἔστιν αὕτη νηστεία ἣν δοκεῖτε νηστεύειν .... ὁ θεὸς οὐ βούλεται τοιαύτην νηστείαν ματαίαν* (sim. V, 1). Quale sit verum jejunium quum similitudine obscura, tum verbis disertis explicat. Perfectis iis, quae

---

[1] E sacris quidem libris 1 Tim. 5, 6, Sirach 21. 15 notantur.

lex divina praeceperit, reprobandum non esse jejunium, ita autem instituendum, ut pretium ciborum, quibus quis se abstineat, det viduae vel orbo vel cuivis homini pauperi [1]). Sic spiritu et carne ab omni macula servatis [2]) pulchram fore Deoque gratam ejusmodi observantiam [3]). Luce clarius est, per totam hanc similitudinem in mente ac meditatione scriptoris haerere verba Jacobi (1, 26 sq.). Prorsus assentitur apostolo acriter contendenti contra eos, qui pro suo arbitrio externas quasdam pietatis formas sibi effinxerint, commendat cum apostolo iisdemque verbis beneficentiam tamquam verum Dei cultum. E postremis autem verbis (*ἄσπιλον ἑαυτὸν τηρεῖν ἀπὸ τοῦ κόσμου*) asceticas suas regulas elicuisse videtur; munditiem enim beneficiis comparandam animo tribuit, carnis munditiem abstinentia acquirendam esse arbitratur.

In loco Jacobi jam pertractato occurrit locutio rarior, a scriptoribus sacris alias non adhibita, *χαλιναγωγεῖν τὴν γλῶσσαν*, quam artem assecutum quemque facile totam naturam moderari posse docet apostolus (3, 2 sq.). Hanc quoque verborum sententiarumque materiem eaque omnia, quae de linguae vitiis exponit epistola, saepe ante oculos versari Hermae facile demonstratur. Etiamsi enim de sermone non agat, ubi verbis utitur: *χαλιναγωγήσεις αὐτὸν καθὼς βούλει* (mand. XII, 1), tamen simillima est sententiarum consecutio. Ipse enim eodem quo Jacobus modo parte quadam naturae subjugata facile regi posse reliqua dicit, eademque menti inhaeret imago bestiae ferae ab homine domandae. *Ἀγρία γάρ ἐστιν ἡ ἐπιθυμία ἡ πονηρὰ καὶ δυσκόλως ἡμεροῦται* (cf. Jac. 3, 7). Tantum non affirmo, Hermam iisdem ingredi vestigiis comparantem rerum omnium a Deo creatarum dominationem, quae penes hominem sit, cum ea, qua opus est in moribus excolendis (mand. XII, 4). Apertius etiam alibi Jacobum, linguae peccata corripientem, sequitur, com-

---

[1]) cp. 3 ἢ χήρᾳ ἢ ὀρφανῷ ἢ ὑστερουμένῳ. Cf. sim. I: *χήρας καὶ ὀρφανοὺς ἐπισκέπτεσθαι.* — mand. VIII: *χήραις ὑπηρετεῖν, ὀρφανοὺς καὶ ὑστερουμένους ἐπισκέπτεσθαι.*

[2]) cp. 7: *τὴν σάρκα σου ταύτην φύλασσε καθαρὰν καὶ ἀμίαντον.* Cf. cap. 6 extr.: *ἡ σὰρξ ἡ εὑρεθεῖσα ἀμίαντος καὶ ἄσπιλος.*

[3]) cp. 3: *καὶ ἡ λειτουργία* (= *θρησκεία* Jacobi) *οὕτως ἐργαζομένη καλὴ καὶ ἱερά ἐστι καὶ εὐπρόσδεκτος τῷ κυρίῳ.* paulo ante: *δεκτὴ παρὰ τῷ θεῷ.*

parans sermones hominum maledicorum cum reptilibus mortiferis venenoque suo corrumpere homines et interficere dicens [1]). *Πονηρὰ γάρ*, inquit, *ἡ καταλαλία καὶ ἀκατάστατον δαιμόνιον μηδέποτε εἰρηνεῦον* [2]). Omnia ea, quae in sim. IX, 23 adversus maledicentiam dicit, Jacobum sapiunt, e quibus pauca transscribo.

Hermas ter memoratis *καταλαλίαις* pergit ita:	Jacobus (4, 11 sq.) sic habet:
εἰ ὁ θεὸς καὶ ὁ κύριος ἡμῶν ὁ πάντων κυριεύων καὶ ἔχων πάσης τῆς κτίσεως αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν οὐ μνησικακεῖ τοῖς ἐξομολογουμένοις τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν, ἀλλ' ἵλεως γίνεται, ἄνθρωπος φθαρτὸς ὢν καὶ πλήρης ἁμαρτιῶν ἀνθρώπῳ μνησικακεῖ ὡς δυνάμενος ἀπολέσαι ἢ σῶσαι αὐτόν.	*Μὴ καταλαλεῖτε ἀλλήλων, ἀδελφοί κ. τ. λ.* … *εἷς ἐστιν ὁ νομοθέτης καὶ κριτὴς ὁ δυνάμενος σῶσαι καὶ ἀπολέσαι· σὺ δὲ τίς εἶ, ὁ κρίνων τὸν πλησίον;*

Non sola vocabula ab Herma repetita sunt; multo major efficitur similitudo argumentationis congruentia. Nonne, ut cetera praetermittam, ad quaestionem ab apostolo positam longa explicatione respondet? E Jacobo autem orta esse haec, nec respicere Hermam verba domini, quodammodo comparanda [3]), multo melius perspicitur ex duodecimo mandato, in quo quae leguntur inde a capite altero usque ad sextum multis verbis circumscribunt universum locum Jac. 4, 7—12. Initio quidem diabolum nondum inducit, sed legenti cuique quae sequuntur, dubium non erit, quin ea quoque, quae de resistendo adversus concupiscentiam capite altero docet, secundum Jacobum (3, 7) formata sint. Judices ipse. *Θανατώδεις γάρ εἰσιν αἱ ἐπιθυ-*

[1]) sim. IX, 1: *τὸ δὲ ἔνατον ὄρος … ἐν ἑαυτῷ εἶχεν ἑρπετὰ θανατώδη.* cp. 26: *ὥσπερ γὰρ τὰ θηρία διαφθείρει τῷ ἑαυτῶν ἰῷ τὸν ἄνθρωπον καὶ ἀπολλύει, οὕτω καὶ τῶν τοιούτων ἀνθρώπων (τῶν καταλάλων) τὰ ῥήματα διαφθείρει καὶ ἀπολλύει.* Cf. Jacob. 3, 7. 8.

[2]) Cf. Jac. 3, 6: *ἀκατάστατον κακόν* et ea, quae v. 15 de mente talia gignente dicit, cum supra positis verbis e mand. II depromptis.

[3]) Matth. 10, 26 ab Hilgenfeldo laudatur (Apostl. Väter p. 183). In editione Hermae p. 77 et 136 Jacobum apposuit, Matthaeum recte omisit.

μίαι αὗται. Σὺ οὖν … ἀντίσθητι αὐταῖς. … Ἡ ἐπιθυμία ἡ πονηρὰ ἐὰν ἴδῃ σε καθωπλισμένον τῷ φόβῳ τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθεστηκότα αὐτῇ, φεύξεται ἀπὸ σοῦ μακράν. Exposita deinde hominis cum Deo conjuncti potestate ad implenda praecepta divina, quae expositio ad versum Jac. 4, 8 prospicere videtur, in fine capitis quarti jam revertitur ad septimum sic scribens: *μὴ φοβήθητε οὖν αὐτὸν* (sc. *τὸν διάβολον*) *καὶ φεύξεται ἀφ' ὑμῶν.* Atque iterum iterumque eadem repetit ostendens diaboli contra Dei servos pugnantis impotentiam. *Δύναται ὁ διάβολος ἀντιπαλαῖσαι, καταπαλαῖσαι οὐ δύναται. Ἐὰν οὖν ἀντιστῆτε αὐτῷ, νικηθεὶς φεύξεται ἀφ' ὑμῶν, κατῃσχυμμένος … Ὁ διάβολος ἔρχεται ἐπὶ πάντας τοὺς δούλους τοῦ θεοῦ, ἐκπειράζων αὐτούς· ὅσοι οὖν πλήρεις εἰσὶν ἐν τῇ πίστει, ἀνθεστήκασιν αὐτῷ ἰσχυρῶς, κἀκεῖνος ἀποχωρεῖ ἀπ' αὐτῶν ..* (c. 5). Deum solum, qui mandata dederit per angelum poenitentiae, esse timendum, ejus leges esse observandas. *Τὴν δὲ ἀπειλὴν τοῦ διαβόλου ὅλως μὴ φοβήθητε· ἄτονος γάρ ἐστιν ὥσπερ νεκροῦ νεῦρα· ἀκούσατε οὖν μου καὶ φοβήθητε τὸν πάντα δυνάμενον, σῶσαι καὶ ἀπολέσαι, καὶ τηρεῖτε τὰς ἐντολὰς ταύτας* (c. 6; cf. mand. 7). Iterum delapsus est ad versum Jac. 4, 12, sicuti in similitudine nona ac nunc quidem, quod omiserat supra, Deum legislatorem hoc modo timendum esse docet cum apostolo. Omnis igitur sublata est dubitatio, unde in utroque loco Hermas duxerit sententiarum ordinem, argumentationis genus, universi denique sermonis colorem [1]).

Eodem paene modo res sese habet, mandati novi et undecimi locis nonnullis cum Jacobo (3, 15) comparatis. Sapientiae quidem nomen ignotum esse Hermae supra diximus. Quum autem veram prudentiam esse profiteatur eam ipsam mentis immutationem, quam ubique necessariam esse inculcat [2]), atque potiorem hujus conversionis partem ducat fidei corroborationem spiritusque innovationem, non longe aberrat a Jacobi sententia sapientiae utriusque, coelestis et terrestris, loco ponens fidei ac

[1]) Bene scio, quaedam etiam cum Petri sententia (1 Petr. 5, 9) congruere, quae tamen similitudo comparari non potest cum ea, in qua illustranda nunc versor. —

[2]) mand. IV, 2: *τὸ μετανοῆσαι σύνεσίς ἐστι μεγάλη κ. τ. λ.*

dubitationis discrimen, quod e duobus spiritibus proficisci putat. *Ἡ πίστις*, inquit, *ἄνωθέν ἐστι παρὰ τοῦ κυρίου καὶ ἔχει δύναμιν μεγάλην, ἡ δὲ διψυχία ἐπίγειον πνεῦμά ἐστι παρὰ τοῦ διαβόλου δύναμιν μὴ ἔχουσα* (mand. IX). Eadem utitur in mand. IX terrestris et diabolici spiritus conjunctione, eodemque modo utrumque opponit spiritui desursum descendenti. Sexies *ἐπίγειον* vocat pseudoprophetae spiritum, ter quaterve a diabolo inspirari asseverat, totidemque de veri prophetae spiritu disputat, *ὅτι ἄνωθέν ἐστιν*. *Τὸ πνεῦμα τὸ θεῖον τὸ ἄνωθεν — τῷ πνεύματι τῷ ἐρχομένῳ ἀπὸ τοῦ θεοῦ — τὸ πνεῦμα τὸ θεῖον ἄνωθεν ἐρχόμενον δυνατόν ἐστιν.*

Ampliori demonstrationi supersedens, ad alium locum pergo, quem quae praecedunt et subsequuntur, apud Hermam inveniri supra exposuimus. Jacobi illud (2, 7): *οὐκ αὐτοὶ βλασφημοῦσι τὸ καλὸν ὄνομα τὸ ἐπικληθὲν ἐφ' ὑμᾶς;* e multis Pastoris locis perlucet. Animadvertas imprimis hunc (sim. VIII, 6): *Οἱ ἀποστάται καὶ προδόται τῆς ἐκκλησίας καὶ βλασφημήσαντες ἐν ταῖς ἁμαρτίαις τὸν κύριον, ἔτι δὲ καὶ ἐπαισχυνθέντες τὸ ὄνομα κυρίου τὸ ἐπικληθὲν ἐπ' αὐτούς* 1). Dixerit fortasse quispiam, singulas hujus sententiae locutiones crebro reperiri in vetere novoque testamento. Concedo, atqui nego reperiri tali modo congregatas nisi apud Jacobum. In actorum libro (15, 17 cf. Amos 9, 12) omnes gentes dicuntur nomine Dei ornatae, neque blasphemiae mentio fit; hanc quidem inveneris Rom. 2, 24 (Jes. 52, 6) attamen deest descriptio nominis divini. Quibus argumentis nondum comprobatum videretur mihi ipsi id quod contendi, nisi quae antecedunt, *προδόται τῆς ἐκκλησίας*, aperte respicerent ea, quae Jacobus praemisit: *αὐτοὶ ἕλκουσιν ὑμᾶς εἰς κριτήρια.* Nonne etiam adjectis verbis *ἐν ταῖς ἁμαρτίαις* veram exhibet vocis apostolicae interpretationem, quae aliam quoque in partem intelligi poterat? Longius quidem a recta via aberrarunt, quos Hermas describit, usque ad desertionem ac proditionem manifestam tandem progressos; sed ante hunc exitum perniciosum eandem, quam Jacobus, ponit c o n t r a r i e t a t e m n o m i n i s C h r i s t i a n i e t v i t a e e o n o m i n e i n d i g n a e.

1) Cf. paulo ante scripta: *βεβηλοῦν τὸ ὄνομα αὐτοῦ*, et in cap. 8: *διὰ γὰρ τὰς πραγματείας ἐβλασφήμησαν τὸν κύριον.* — sim. VI, 2: *καὶ τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου ἐβλασφήμησαν.* Cf. sim. IX, 21.

Tandem aliquando pervenit disputatio nostra ad interiorem aliquam ac graviorem quaestionem, quae vere est qüaestio. De vitae Christianae ipsius natura, de fide et operibus, de justificatione et sanctificatione quid senserit Hermas, nondum exposuisse me miretur fortasse, qui legerit apud Hilgenfeldum 1), propter eam potissimum, quae in hisce rebus inter Jacobum et Pastoris scriptorem intercedat, doctrinae societatem praeter alios libros hanc epistolam eum adamasse. Cui sententiae adversari potius videtur, quod quum [illegible] praestantissima exhibuerit Pastor documenta scientiae hujus epistolae eximiae, luculentissimae illius de operibus et fide disputationis, quae cuique nostrum in mentem venit, quotiescunque Jacobi meminit, obscuriora certe, si ulla, reperiuntur vestigia. Quamobrem longiore et cautiore opus est inquisitione, quae a proposito nostro discedere aliquoties videbitur. Initium autem capiam e loco, quem postremum attigi.

Nomen illud pulchrum est nomen Jesu Christi una cum baptismo Christianis impositum et apud Jacobum 2), et apud Hermam; qui etiamsi Deum ipsum plerumque appellet *κύριον* sive *τὸν κύριον* 3), et „nomen“ quoque „domini“ aliquoties adhibeat pro nomine Dei 4), tamen Christum dominum appellat manifeste, ubicunque de baptismo agit 5). Namque in solius patris nomine tunc temporis quemquam baptizatum esse vix credideris. Deinde non quia Dei servi essent Deique nomine se ornarent a Romanis vexabantur Christiani, immo potius propter nomen Christi, quem velut Deum venerabantur, impietatis accusabantur. Ubicunque igitur Hermas corripit eos, quos puduit in persecutionibus nominis domini (sim. VIII, 6. IX, 21) adeo usque ut huic nomini addictos se esse negarent (vis. II, 2. sim. VIII, 8; IX, 28); ubicunque pati Christianos propter nomen domini dicit 6), non Dei patris, sed Christi filii Dei nomen

1) Prolegg. in Herm. p. XIX.

2) Cf. Wiesinger in comm. ad Jac. ep. p. 114 sq.

3) Cf. imprimis vis II, 2: *ὤμοσε ὁ κύριος κατὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ.* — sim. VIII, 11.

4) e. gr. sim. IX, 14: *ἐσπλαγχνίσθη* (sc. *ὁ θεὸς*) *ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τ ὸ ὄ ν ο μ α α ὐ τ ο ῦ.*

5) vis. III, 7: *οἱ θέλοντες βαπτισθῆναι εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου.*

6) sim. IX, 28: *ὅσοι ἔπαθον δ ι ὰ τ ὸ ὄ ν ο μ α τ ο ῦ κ υ ρ ί ο υ = οἱ παθόντες ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τ ο ῦ υ ἱ ο ῦ τ ο ῦ θ ε ο ῦ = ἔπαθον διὰ τὸ*

meditatur, quod per baptismum suscipi quum alibi annuit, tum aperte declarat in sim. IX, c. 12—16. „Sigillum illud filii Dei“ (sim. IX, 16 cf. c. 31 et sim. VIII, 6), quod, qui non acceperit, vitam assequi et in regnum Dei pervenire non potest, est baptismus; prorsus autem synonymas esse locutiones *λαβεῖν τὴν σφραγῖδα* et *λαβεῖν τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* multis e locis patet [1]). „Intrare“ igitur „per nomen filii a patre amati“ sive „accipere nomen ejus sanctum“ (sim. IX, 12) nihil aliud est nisi baptizari nomine Jesu Christi; „gestare autem nomen filii Dei“ (sim. IX, 13. 14. 16) est baptizatum vel insertum esse coetui Christiano.

ὄν. τ. υ. τ. θ. = *ἕνεκεν ὀνόματος κυρίου*. Semel etiam in eodem capite legimus *διὰ τὸν θεὸν παθεῖν*, sed quis inde colligat, Hermam domini nomen reservare deo patri, neque pro communi Christianorum more Christum significare ex. gr. hisce verbis: *πονηρὰ γὰρ ἡ βουλὴ αὕτη ἵνα δοῦλος κύριον ἴδιον ἀρνήσηται . . . ὑμεῖς δὲ οἱ πάσχοντες ἕνεκεν τοῦ ὀνόματος δοξάζειν ὀφείλετε τὸν θεόν, ἵνα τούτου τὸ ὄνομα* (dilucida sane distinctio) *βαστάζητε . . Ὁμολογεῖτε ὅτι κύριον ἔχετε. Εἰ τὰ ἔθνη τοὺς δούλους αὐτῶν κολάζουσιν, ἐάν τις ἀρνήσηται τὸν κύριον ἑαυτοῦ, τί δοκεῖτε ποιήσει ὁ κύριος ὑμῶν, ὃς ἔχει πάντων τὴν ἐξουσίαν.* Quae verba extrema ad Christum optime referri perspicitur e sim V, 6: *Βλέπεις, φησίν, αὐτὸν* (sc. filium Dei servi munere functum) *εἶναι τὸν κύριον τοῦ λαοῦ, πᾶσαν ἐξουσίαν λαβόντα παρὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ* (cf. Matth. 28, 18). Nonne hic est *κύριος ἴδιος* populi Christiani? Nec dubitaturum puto diligenter quidem legentem, quin etiam in his verbis, quorum partem transscripsi in pag. ant., juxta dominum, qui Deus pater est, positus sit Christus fidelium dominus: *ὤμοσε γὰρ ὁ κύριος κατὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ τοὺς ἀρνησαμένους τὸν κύριον αὐτῶν ἀπεγνωρίσθαι ἀπὸ τῆς ζωῆς αὐτῶν* (cf. sim. IX, 18 extr.). Quibus omnibus pensitatis mireris fortasse Lipsium scribentem: »Uebrigens ist es bezeichnend, dass Hermas ächt judenchristlich den Ausdruck *κύριος* immer nur von Gott, nirgends von Christus gebraucht« (Ztschr. f. w. Th. 1865. S. 276. Anm. 5.).

1) sim. IX, 16: *ἔλαβον οὖν καὶ οὗτοι οἱ κεκοιμημένοι τὴν σφραγῖδα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· πρὶν γὰρ φορέσαι τὸν ἄνθρωπον τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ νεκρός ἐστιν.* Cf. etiam cum iis, quae antecedunt, haec: *λαβόντες οὖν τὴν σφραγῖδα* (IX, 17) et cum capite 16. extremam partem cap. 12. Typothetae vitio, ni fallor, legitur apud Hilgenfeldum in cap. 13: *πάντες τὸ ὄνομα τοῦ θεοῦ ἔλαβον*, nulla lectionis varietate adnotata, quum tamen Latinus uterque exhibeat »nomen filii Dei« (Dei filii cod. Vat. vers. vulg.), Lipsiensis autem apud Dresselum p. 629 *πάντες τὸ ὄν. τοῦ υἱοῦ τ. θεοῦ ἔλαβον.*

Itaque non modo a filio Dei [1]), verum etiam ad nomen Christi vocatos esse Christianos dicit, ita nimirum, ut qui audita „praedicatione filii Dei“ (sim. IX, 15) crediderit et obsecutus sit vocationi, perveniat ad nomen Christi. Sic enim interpretanda sunt haec: *πάντα τὰ ἔθνη ἀκούσαντα καὶ πιστεύσαντα, ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἐκλήθησαν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ* [2]). Dicit etiam „per nomen domini vocatos esse“ [3]) fideles, ac potest ita dicere, quoniam praedicatio evangelii, quae congregat ecclesiam, secundum scriptoris ipsius sententiam, quum sit praedicatio filii Dei (sim. VIII, 3; IX, 15. 17), est etiam praedicatio **nominis** filii Dei (sim. IX, 16), fidesque huic praedicationi habita, quum sit fides in filium Dei [4], est etiam **cognitio nominis** filii Dei [5]). Atque adeo praedicationem sigilli nuncupat evangelium ac rursus baptismum sigillum praedicationis [6]), i. e. sigillum, quod explicetur, commendetur, impert· ıtur ab evangelii praeconibus.

Quae locutiones magnam rtem a scriptoribus sacris adhibitae tam longa non egerer enarratione, nisi, antequam ad propositum rediremus, grav :es nonnulli errores corrigendi viderentur Lipsii de hisce :bus disputantis. Unum refellisse mihi videor in adnot. hu , paginae quarta, alter multo gravior est. Demonstrare ıim vult vir doctus, Hermam omnem Christi vim salutarem ı ›nere in nomine illo Dei secreto, Judaeis propter religionem quandam interdicto, quod gestare Christum velit Hermas. Quae mira sententia unde comprobetur, haud perspicio. Vocem quidem *κυρίου*, qua יהוה nomen Ju-

1) sim. VIII, 11: *ὁ κύριος θέλει τὴν κλῆσιν τὴν γενομένην διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ σώζεσθαι.*

2) sim. IX, 17. Cf. Lips. l. l. p. 276. Anm. 3.

3) sim. 8, 1: *οἱ κεκλημένοι τῷ ὀνόματι κυρίου.*

4) sim. IX. 16 apostolos dicit vita decessisse *ἐν δυνάμει καὶ πίστει τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*, cujus sententiae vim dubiam esse, nemini persuasisse confido Lipsium (l. l. p. 275: »Glaube an den Sohn Gottes oder Glaube, den der Sohn Gottes vermittelt«). Etiamsi verba permitterent explicationem secundo loco positam, res ipsa vetaret. Nam fides apostolorum eandem rem amplectatur necesse est, quam praedicatio ipsorum et fides eorum, quibus praedicant, i. e. nomen filii Dei (cp. 16), sive filium ipsum (cp. 17). An vero vir doctissimus etiam *τὴν πίστιν τοῦ κυρίου* (i. e. Dei vis. IV, 1. sim. VI, 1) esse fidem per dominum suppeditatam censet?

5) sim. IX, 16: *ἐπέγνωσαν τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.*

6) l. l. *ἐκηρύχθη ἡ σφραγὶς . . . . τὴν σφραγῖδα τοῦ κηρύγματος.*

daei graece loquentes et scribentes compensare potius quam vertere soliti erant, non semel, ut supra demonstravimus, in Christum contulit noster, nec vero ideo Christum aut ipsum esse Jahven, aut singulari quodam modo indutum esse hoc nomine docet. Quod autem magnum (sim. IX, 14) et sanctum (IX, 12) vocat filii Dei nomen, ac perinde Dei creatoris nomen praeclarum (vis. III, 3) sive magnum et praeclarum (vis. IV, 3), ne eam quidem flagitat explicationem, quam quod apostoli omnes innumerabilia fere et Deo et Christo tribuerunt. Judaistica sane non foret haec sententia, quum יהוה nomen ab omni profanatione semovendum, in hominem quamvis sanctum vel angelum principem conferre, summum nefas haberi oporteret a quovis Judaeo vel Christiano judaicis opinionibus obstricto. Quam nominis sanctitatem, ab omni usu promiscuo servandam, indicare videtur etiam locutio illa שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ vel הַשֵּׁם הַנִּבְדָּל [1]). Quibus tandem absurditatibus implicandus esset Hermas, si hoc nomen a Judaeis jam non pronuntiatum, in ecclesia tunc temporis non auditum, in baptismo nunquam adhibitum, salutis instrumentum esse dixisset, si patriarchas et prophetas per apostoles ad inferos descendentes perduci putasset ad hujus nominis, in Christum collati, cognitionem, si hoc nomen, plerisque ignotum, a reliquis tacitum, per orbem praedicasse somniasset doctores evangelii. Simplex scriptor est Hermas, at absurdus non est. Cur autem Hermae potius, quam Petro apostolo, qui non modo animae verum etiam corporis infirmi salutem ponit in nomine Jesu Christi (Act. 4, 10. 12), vel etiam Paulo, qui nomen Christi instrumentum justificationis secure dixit (1 Cor. 6, 11), superstitiosae hae opiniones tribuendae sint, me quidem prorsus non intelligere fateor libenter. Quid, quod sacrum nomen Christi omnino inutile videri Hermae paulo infra demonstrabimus? Usitatissima illa locutione, per universam scripturam s. obvia, ipse quoque utitur, quotiescunque nomen rei vel personae pro re ipsa verbis descripta animoque percepta ponit, nihilque arcanae sententiae inest ei dicendi generi, de quo adhuc disputavi-

---

1) Hanc quoque inter alias explicationes exhibet Buxtorfus in lex. chald. talm. rabb. p. 2433 sq.

2) Cf. imprimis cap. 12 sim. IX. Christus ipse est porta, per quam ingredi quemque necesse est: ejusdem autem sententiae forma tantum-

mus [2]). Sive nomen filii Dei, sive filium ipsum dicat praedicatum esse ab apostolis, fide acceptum ab audientibus, prorsus idem sibi vult. Apertius etiam, quam in loco supra adnotato (pag. 19. adn. 4), fidem Christianorum in Christum directam esse ostendit in similitudinis VIII capite 3, quem locum infra perstringemus. Neque adversatur sibi, fidem esse fidem in Deum vel Deo habitam [1]), vel cognitionem Dei docens [2]), siquidem omnes omnium temporum Christiani, etiam deficiente expolita disserendi forma, Christum venerantes Dei ac quidem unius verique Dei cultores se esse professi sunt. Deum omnes coluerunt per Christum, ut cum Tertulliano (apol. 21) loquar.

Sed jam redeamus licet ad comparationem nostram, a qua longe aberrasse videmur, quamquam in ipsa re versati. Quemadmodum Jacobus inter Christianos, qui esse videntur, novit eos, qui nomen quidem habent, sed indigne vivunt vocatione sancta, sic etiam Hermas distinguit inter eos, qui solum nomen gestant vel etiam inviti ferunt, oblataque occasione abjiciunt (sim. IX, 14 extr.), omni denique Christi virtute carent [3]), et eos Dei servos, quorum vita digna est nomine sancto, quo ornati sunt. Virtutem autem illam in duodecim virtutes dividit, e filio Dei velut fonte emanantes, virginumque figura depingit, quarum prima *πίστις*, ultima *ἀγάπη* vocatur [4]). Iis igitur,

---

modo diversa est, ubi neminem nisi per nomen filii intrare dicitur. In fine capitis legimus haec: *οὐδεὶς εἰσελεύσεται πρὸς τὸν θεὸν ἄτερ αὐτοῦ· ὃς ἂν τὸ ὄνομα αὐτοῦ μὴ λάβῃ, οὐκ εἰσελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.* Cf. etiam variationem conspicuam inter voces *τὰ ὀνόματα τῶν παρθένων, τὸ ἔνδυμα τῶν παρθ., ἡ δύναμις τῶν π., ταῦτα τὰ πνεύματα.* (cp. 13).

1) vis. IV, 1. mand. 1. — sim. IX, 13. *οἱ πιστεύσαντες τῷ κυρίῳ διὰ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ*, in quo loco animadvertendum est, aoristum verbi *πιστεύειν* non significare habitum hominis in Deum credentis, sed actum conversionis a peccato et operibus mortuis et fictorum Deorum cultu ad verum Deum (cf. Hebr. 6, 1), quae conversio effecta est vocante filio Dei per praedicatores evangelii.

2) In sim. IX, 18 (init.) una voce *θεὸν ἐπεγνωκότες* comprehendit omnia ante dicta de fide, baptismo, caritate Christianorum.

3) sim. IX. 13. Cf. praeter alia hoc: *ἐὰν τὸ ὄνομα φορῇς, τὴν δὲ δύναμιν μὴ φορῇς αὐτοῦ* (i. e. *τοῦ υἱοῦ τ. θ.*) *εἰς μάτην ἔσῃ τὸ ὄνομα αὐτοῦ φορῶν.*

4) l. l. *αὗται αἱ παρθένοι δυνάμεις εἰσὶ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.*

qui solum nomen gestant filii Dei, omnem fidem derogat[1]) sicuti ceteras virtutes, arctissime cum fide conjunctas. Omnes quidem vocatos docet in baptismo una cum nomine domini accepisse remissionem peccatorum[2]) spiritumque sanctum, vim fidei, sanctitatis, caritatis tribuentem, sed abjecisse nonnullos hoc indumentum[3]); quamvis non modo ab aliis dicantur Christiani, sed ipsi quoque in ore habeant dominum[4]), fregisse sigillum baptismi[5]). Immo omnes fere homines ecclesiae addictos, quamvis magna sint inter eos discrimina, Herma ipso minime excepto, privatos esse si non omnibus tamen nonnullis fructibus veritatis, spoliatos esse quodammodo veste illa virginum, fregisse igitur aliqua ex parte sigillum filii Dei, quamobrem angelo poenitentiae subditi sint, ut omnis vita eorum renovetur dignaque reddatur „magna illa et sancta vocatione", unde nomen ducunt. Hermas non operibus opponit fidem, sed rem nomini, actionem verbis inanibus, veram vitae piae naturam speciei fallaci. Minima sunt, si universum spectes doctrinae sermonisque tenorem, quae aliam opinionem videntur indicare.

Fidei quum primum locum tribuat inter duodecim virtutes vel potius actiones bonas operationesque spiritus sancti, eandem quam ubique apud Hermam observamus, ethicam fidei notionem servat. Fides secundum Pastorem est actio ab homine ope divina perficienda, verum non actio mere intellectualis, assensus quidam mentis humanae, nedum pura notitia rerum divinarum, immo est actio voluntatis vel cordis in personam Dei summa cum fiducia directa[6]). Locutionibus, quae ethicam hanc fidei

1) cp. 19. *ὄνομα μὲν ἔχουσι, ἀπὸ δὲ τῆς πίστεως κενοί εἰσιν καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς καρπὸς ἀληθείας.*

2) mand. IV, 3: *εἰς ὕδωρ κατέβημεν καὶ ἐλάβομεν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἡμῶν τῶν προτέρων.* De spiritu agit in sim. IX, 13.

3) sim. IX, 13: *τῶν παρθένων ἀπεδύσαντο τὴν δύναμιν.*

4) sim. IX, 21: *οἱ τὸν κύριον ἔχοντες ἐπὶ τὰ χείλη, ἐπὶ τὴν καρδίαν δὲ μὴ ἔχοντες . . . τὰ ῥήματα αὐτῶν μόνα ζῇ, τὰ δὲ ἔργα αὐτῶν νεκρά ἐστιν.* Cf. mand. XII, 4: *οἱ δὲ ἐπὶ τοῖς χείλεσιν ἔχοντες τὸν κύριον, τὴν δὲ καρδίαν αὐτῶν πεπωρωμένην καὶ μακρὰν ὄντες ἀπὸ τοῦ κυρίου κ. τ. λ.*

5) sim. VIII, 6: *οἱ πιστεύσαντες καὶ εἰληφότες τὴν σφραγῖδα καὶ τεθλακότες αὐτὴν καὶ μὴ τηρήσαντες ὑγιῆ.*

6) vis. III, 3: *μόνον ἡ καρδία σου ἤτω πρὸς τὸν κύριον, καὶ μὴ διψυχήσῃς.* — mand. XII, 6: *ἐὰν ἡ καρδία σου καθαρὰ γένηται πρὸς τὸν κύριον.* Quotiescunque »cor purum« dicit, non puritatem quandam animi

naturam significent, crebris utitur, confidendi[1]) nempe et sperandi in Deum[2]), obtemperandi Deo[3]), timendi Deum, credendi Deo pro credendo in Deum[4]). Itaque mirum non est, quod etiam fides mandato (I) contineatur, sicuti ceterae actiones bonae. Quantopere amet Hermas fidei opponere significationes illas, quae omnes duplicitatem quandam et discordiam totum hominem penetrantem exprimunt, supra jam monuimus. Quum incredulus (*δίψυχος*) ne sibi quidem fidat, huc vel illuc trahatur, nihil assequatur[5]), expers sit omnis spei ac laetitiae (mand. X, 2), neque vivat denique, neque mortuus sit (sim. IX, 21), fidelis homo contra una cum fiducia simplici in Deum omnia habet, quae illis sunt contraria. *Ἡ γὰρ πίστις*, inquit, *πάντα ἐπαγγέλλεται, πάντα τελειοῖ* (mand. IX). Etenim fidem non esse unam e magno virtutum numero, verum primam, fundamentalem, ceteras naturali quadam necessitate secum ducentem, quam strenue ubique et dilucide affirmat noster! Neque enim honoris causa primum locum ei tribuit, ubicunque enumerat, quae hominis Christiani veram efficiant imaginem, sed inseparabiles esse ceteras actiones bonas a fide, vario modo docet. Primum quidem patet haec sententia in similitudine nona,

omnibus vitiis immunis indicat, sed simplicem omnisque simulationis expertem animi directionem. Cf. mand. II. totum cum fine ejusdem. Verba *καθαρᾷ καρδίᾳ* (vis. IV, 2: sim. V, 1) idem fere sibi volunt, atque *ἐξ ὅλης καρδίας* (vis. I, 3; III, 13; IV, 2; mand. V, 1: VI, 1; IX; sim. VII; VIII, 6).

1) mand. IX: *οἱ ὁλοτελεῖς ἐν τῇ πίστει = οἱ πεποιθότες ἐπὶ τὸν κύριον.* Cf. sim. IX, 18 extr. *πᾶσα ψυχὴ πεποιθυῖα ἐπὶ τ. κύριον.*

2) mand. XII, 5: *τῶν δούλων τοῦ θεοῦ τῶν ἐξ ὅλης καρδίας ἐλπιζόντων ἐπ' αὐτόν.*

3) Quam vicinae sint in Pastoris sermone notiones credendi et obtemperandi, perspicitur e mand. VI, c. 139; ubi *πιστεύειν*, cui semel substituitur *ἀκολουθεῖν*, prorsus idem est, ac *πείθεσθαι*, contrarium vero *τῷ ἀποστῆναι* et *ἀποτάξασθαι.*

4) mand. I: *πίστευσον αὐτῷ καὶ φοβήθητι αὐτόν.* Timori Dei pro veteris test. consuetudine (יִרְאַת יְהוָֹה) latiorem tribuit vim, ut paene synonyma sit vox cum fide. Cf. mand. VII. VIII. Locutio autem *πιστεύειν τῷ θεῷ* saepe occurrit (mand. XII, 6: sim. IV, 2).

5) mand. IX extr.: *ἡ διψυχία καταπιστεύουσα ἑαυτῇ πάντων ἀποτυγχάνει τῶν ἔργων αὐτῆς ὧν πράσσει.* — Incredulus est vas inane (mand. XI; XII, 5).

ubi virgines illas duodecim non tamquam singulas virtutes, modo in unum conjunctas, modo separatas describit, sed, etiamsi insit spiritui sancto varietas quaedam, tamen, sicuti omnes adstant portae turris salutaris (sim. IX. 2), omnes etiam cooperantur ad introducendum quemque in regnum Dei (cp. 3 sq.), sic unam quoque omnes efficiunt virtutem, unam vestem [1]), qua semel induitur, qui omnino induitur, semel privatur, qui omnino amittit [2]). Quomodo autem fieri possit, ut aliter res sese habeat, quum spiritus illi sancti efficiant unum spiritum, visionis tantum causa ac demonstrationis modo in septem (vis. III, 8) modo in duodecim (sim. IX) virtutes dispositum, unum illum spiritum sanctum, qui habitat in fidelibus [3]). In quo autem spiritus sanctus inhabitat, in eo etiam dominus ipse, qui et totum spiritum et singulas ejus virtutes non modo habuit, quum in terra versaretur, sed possidet in aeternum [4]), impertitque hominibus [5]), ita ut singulos eos, qui ipsius nomen libenter atque ex animo portant, ipse quoque portet libenter quasi vitae eorum fundamentum [6]). Itaque bene sibi constat Hermas, quum in eodem verborum nexu et spiritum domini vel Dei et dominum ipsum

[1]) sim. IX. 13: *ἐὰν μὴ αὗται ἐνδύσωσι τὸ ἔνδυμα αὐτῶν. — ἐὰν — τὸ ἔνδυμα παρὰ τούτων μὴ λάβῃς .... Ποῖος ἱματισμὸς αὐτῶν;* Vocantur *ἅγια πνεύματα . . . τὰ πνεύματα ταῦτα .... δυνάμεις τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ*, verum etiam forma singulari *δύναμις αὐτοῦ*.

[2]) l. l. *οὗτοι πάντες* (ii videlicet, qui postea reprobati sunt) *τὸ ὄνομα τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ ἔλαβον, ἔλαβον δὲ καὶ τὴν δύναμιν τῶν παρθένων τούτων.* — Seducti postea pravis cupiditatibus *ἀπεδύσαντο τὴν δύναμιν τῶν παρθένων.*

[3]) Cf. totum mand. V. In cap. 1: *τὸ ἅγιον πνεῦμα τὸ κατοικοῦν ἐν σοί.* Homo est *ἄγγος* sive *ἀγγεῖον, οὗ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον κατοικεῖ* (cp. 2), vocatur etiam *σκεῦος, ἐν ᾧ κατοικεῖ* (ibid.). — Cf. sim. V, 7 et Jacob. 4, 5.

[4]) sim. IX. 13: *καὶ γὰρ αὐτὸς ὁ υἱὸς τὰ ὀνόματα τῶν παρθένων τούτων φορεῖ.* Semper etiam adstantes portae, quae est Christus, virgines istae arctissime conjunguntur cum domino.

[5]) sim. IX. 24 extr.: *ὅλον τὸ σπέρμα ὑμῶν κατοικήσει μετὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· ἐκ γὰρ τοῦ πνεύματος αὐτοῦ ἐλάβετε.* Spiritus sanctus est spiritus Christi.

[6]) sim. IX. 14 extr. *Βλέπεις οὖν, ποίους βαστάζει; τοὺς ἐξ ὅλης καρδίας φοροῦντας τὸ ὄνομα αὐτοῦ· αὐτὸς οὖν θεμέλιον αὐτοῖς ἐγένετο καὶ ἡδέως αὐτοὺς βαστάζει, ὅτι οὐκ ἐπαισχύνονται τὸ ὄνομα αὐτοῦ φορεῖν.* Cf. VIII. 10 extr.

habitare in vero Dei servo dicit [1]). Nolo iterum altercari cum iis, qui Deum patrem, non Christum cogitare volunt Hermam, ubicunque dominum nominat, quum extra omnem controversiam sit, spiritum illum sanctum, quo praesente dominus adest, esse virtutem et spiritum filii Dei [2]), neque aliam esse Christianis cum Deo societatem, nisi suppeditatam ac sustentatam per filium Dei, per quem solum hominibus angelisque [3]) aditus patet ad patrem veluti muro arduo cinctum [4]). Christus per spiritum sanctum, et per Christum Deus ipse recipitur in cor intimum a vere credentibus habitatque in fidelibus [5]). Quemadmodum nostri quoque temporis pii homines simpliciores dominum dicentes non curant personarum discrimen, sic etiam in animo Hermae, domini nomine utentis, expressam semper aut patris aut filii imaginem fuisse haud crediderim. Egregium hujus cogitandi rationis exemplum exstat in similitudinis quintae explicatione (cp. 5), ubi adventum Christi in fine temporum futurum, Dei adventum nuncupat, quamquam aliam praeter Christi reditum Christianorum neminem exspectasse constat [6]).

E genere autem illo disserendi vere mystico de Deo per Christum et Christo per spiritum s. in cordibus credentium inhabitante, ultro emanat Pastoris sententia de conjunctione fidei cum ceteris bonis actionibus, quam optime exponit in vis. III. Quum enim in similitudine IX seriem quandam efficiant sanctitas, simplicitas, reliquae virtutes cum fide, hic, quomodo pendeant ceterae e fide, ostenditur. Filiae sunt altera alterius,

[1]) In eodem mandato (V), ex quo transscripsi nonnulla de spiritu in homine habitante legitur etiam *ἐν τῇ μακροθυμίᾳ κατοικεῖ ὁ κύριος.* In mand. III utrumque exstat et *τὸ πνεῦμα ὃ ὁ θεὸς κατῴκισεν ἐν τῇ σαρκὶ ταύτῃ* et *δοξασθήσεται ὁ κύριος ὁ ἐν σοὶ κατοικῶν.* Cf. sim. V, 4: *ὃς ἂν δοῦλος ᾖ τοῦ θεοῦ καὶ ἔχῃ τὸν κύριον ἑαυτοῦ ἐν τῇ καρδίᾳ . . .* —. sim. IX, 32: dominus habitat in viris amantibus pacem, quoniam pacem amavit. (Nonne Christum indicat ipsum verbi tempus?). — mand. XII, 4: *ὁ ἄνθρωπος ὁ ἔχων τὸν κύριον ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ.* Cf. pag. 22 huj. dissert. adn. 4.

[2]) Cf. pag. 21. adnot. 4. p. 24. adnot. 1 extr. et adnot. 4. 5.

[3]) sim. IX, 12 extr.

[4]) sim. IX, 12 med.

[5]) Vide, quae in pag. 27 sq. disputabimus.

[6]) sim. V. 5: *ἡ δὲ ἀποδημία τοῦ δεσπότου* (i. e. Dei patris) *ὁ χρόνος ὁ περισσεύων εἰς τὴν παρουσίαν αὐτοῦ.* Cf. Jacob. 5, 7 (?) 10. 11.

mater autem omnium fides, ut quamvis sua cuique tribuantur opera, eadem omnia etiam fidei opera dicantur [1]. Neque enim qualis nobis mos est, caritatem, abstinentiam et ceteras virtutes fructus sive opera fidei appellat, sed quemadmodum opera virtutum sunt virtutes ipsae ab homine praestitae, fidei quoque opus est fides ipsa [2]. Quum igitur opera virtutum opera matris ipsarum appellet, hanc suapte natura filiabus suis immanere ostendit. Hinc bene intelligitur, quomodo in mediis mandatis crebro recurrat ad fidem in primo mandato commendatam (mand. VI. IX. XII), quomodo omnem debilitatem vitae spiritualis in dubitatione et incredulitate ponat, omnem denique vigorem in fide absoluta et perfecta [3], ita ut, si uno verbo velit comprehendere bonorum ac malorum in ecclesia hominum discrimen, inter *διψύχους* et *πιστούς* distinguat [4]. Ipsa quoque immutatio illa animorum et spirituum renovatio et morum correctio, cujus praeconem se habuit Hermas a Deo instructum, est conversio a dubitatione ad fidem, redintegratio et confirmatio fidei debilitatae [5], qua reformata mores omnes ultro emendantur. Neque talia sentiens sibi adversatur Pastor, quum modo fidem a pernicie servare electos Dei affirmat, modo iis, qui Deum

---

[1] vis. III, 8: *τούτων οὖν* (i. e. virtutum) *τὰ ἔργα ἁγνὰ καὶ σεμνὰ καὶ θεῖά ἐστιν.* Postquam iterum scripsit *τῶν ἔργων αὐτῶν*, pergit *ὅταν οὖν τὰ ἔργα τῆς μητρὸς αὐτῶν πάντα ποιήσῃς, δύνασαι ζῆσαι.*

[2] Cf. quae Jacobus (1, 4) de opere perfecto patientiae dicit. Non cogitat opus quoddam cum patientia perfectum, sed eam operationem, qua perficienda patientia actualis exsistit, quae loquendi ratio usitata Judaeo cuique Graece scribenti (cf. 1 Thess. 1, 3 *τὸ ἔργον τῆς πίστεως*) explicanda est e locutionibus illis etiam apud Hermam crebro obviis: *ἐργάζεσθαι τὴν δικαιοσύνην* (vis. II, 2. 3) et iis quae sunt similes. Cf. mand. XII, 3: *ἐργάζεσθαι δικαιοσύνην καὶ ἀρετήν, ἀλήθειαν καὶ φόβον κυρίου, πίστιν καὶ πραότητα καὶ ὅσα τούτοις ὅμοια ἀγαθά.*

[3] *Οἱ ὁλοτελεῖς ὄντες ἐν τῇ πίστει* (mand. IX); *τοὺς πλήρεις ὄντας ἐν τῇ πίστει* mand. V, 12; XII, 5; *οἱ τὴν πίστιν ἔχοντες ὁλόκληρον* mand. XII, 5. Hi omnino sunt perfecti.

[4] mand. XI. Ii, qui *πιστοί* vocantur in exordio, postea *οἱ δίκαιοι* et *ἰσχυροὶ ἐν τῇ πίστει τοῦ κυρίου, ἐνδεδυμένοι τὴν ἀλήθειαν* vocantur.

[5] vis. III, 12: *ἐνεδυναμώθητε ἐν τῇ πίστει.* Haec est *ἀνανέωσις τῶν πνευμάτων.* Cf. mand. IX: *πᾶς γὰρ δίψυχος ἀνήρ, ἐὰν μὴ μετανοήσῃ, δυσκόλως σωθήσεται.*

timeant et mandata ejus observent, vitam tribuit [1]. Fides enim ipsa non modo est inter mandata, sed etiam reliqua omnia complectitur, adeo ut fideles in fide accepisse leges Dei dici possint [2]. Qua de re quid senserit, pulchre exposuit in similitudine VIII, 3, Christum ipsum per totum orbem praedicatum esse legem Dei ostendens, quae lex tamquam incarnata et viva credenti cuique inseratur. Falso plerumque hujus loci sententia ita explicatur, ut evangelium legem novam nominasse videatur Hermas. Tres autem res sibi invicem adaequat, salicem a Deo plantatam [3], legem a Deo datam, filium Dei ad fines usque terrarum praedicatum [4]. Praedicatio igitur, quam evangelii nomine nusquam significat, est actus legislationis vel forma, qua promulgatur lex. Filius vero ipse Dei, qui per evangelii praedicationem cum hominibus communicatur, est lex viva, est salix vitae amantissima [5]. Quamobrem qui credunt praedicationi, non modo credunt in ipsam filii Dei personam [6], verum etiam propaginem quandam arboris vegetissimae accipiunt, quae innumerabilibus ramis abscissis minime laeditur. Rami autem illi vel propagines, quamquam sunt particulae tantum arboris, idem sunt singulis hominibus, quod toti mundo est arbor [7], sunt tra-

---

[1] vis. III, 8: *διὰ ταύτης* (*τῆς πίστεως*) *σώζονται οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ.* Contrarium exhibet mandati cujusque exitus.

[2] vis. I, 3: *τὰ νόμιμα τοῦ θεοῦ, ἃ παρέλαβον ἐν μεγάλῃ πίστει.*

[3] Cf. praeter exordium sim. VIII., verba quae in cap. 2. extr. leguntur: *ὁ γὰρ κτίσας τὸ δένδρον τοῦτο θέλει πάντας ζῆν κ. τ. λ.*

[4] cp. 3: *τὸ δένδρον τοῦτο τὸ μέγα τὸ σκεπάζον πεδία καὶ ὄρη καὶ πᾶσαν τὴν γῆν νόμος θεοῦ ἐστιν ὁ δοθεὶς εἰς ὅλον τὸν κόσμον· ὁ δὲ νόμος οὗτος υἱὸς θεοῦ ἐστὶ κηρυχθεὶς εἰς τὰ πέρατα τῆς γῆς· οἱ δὲ ὑπὸ τὴν σκέπην λαοὶ ὄντες οἱ ἀκούσαντες τοῦ κηρύγματος καὶ πιστεύσαντες εἰς αὐτόν* (sic).

[5] cp. 6: *τὸ δένδρον τοῦτο φιλόζωόν ἐστιν.* cp. 2: *τὸ δένδρον τοῦτο ἰτέα ἐστὶ καὶ φιλόζωον τὸ γένος.*

[6] Cf. adnot. 4. Extremum vocabulum *αὐτὸν*, quum ad praedicationem referri nequeat, filium Dei respicit, cujus est praedicatio. Cf. sim. IX. 15: *τοῦ κηρύγματος τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ.* Cum universa hac re comparandum est illud, quod in Praed. Petri et Pauli reperitur (Hilg. Nov. t. e. can. fasc. IV. p. 59): *νόμος καὶ λόγος ὁ κύριος.* Haec est nativa species doctrinae *περὶ τοῦ λόγου.*

[7] Pergit post ea, quae in adnot. 4. exhibentur, ita: *Ὁ δὲ ἄγγελος ὁ μέγας καὶ ἔνδοξος Μιχαὴλ ὁ ἔχων τὴν ἐξουσίαν τούτου τοῦ λαοῦ καὶ*

duces vitae arboris indelebili vigore praeditae. Qui particulam recepit, totum habet. Itaque traduces a matrice derivati eodem nomine ornantur; sunt lex Dei animo intimata, dominus ipse cordi infixus, vitam praebens et implendae voluntatis divinae facultatem. Distinguit quidem Pastor etiam in hoc loco inter actum primae conversionis ad praedicationem filii Dei et communicationem virtutis domini sicuti fecit in sim. IX, sed tempore non separat, neque enim fidem sequitur insinuatio illa legis vivae, at in ipso credendi actu perficitur [1]. Credens quisque in animum recipit filium Dei, qui est lex vivificans. Itaque alibi etiam eos, qui crediderunt olim, verum degenerarunt in fide, ad corroborandam fidem ita cohortatur, ut cordi imprimere dominum jubeat eos [2]. Qui hoc modo dominum habet in corde atque in domino legem Dei, facile et sua sponte omnia implet Dei mandata.

Itaque veram fidem, quae non exsistat sine spiritu sancto omnia dona sua afferente, ne cogitare quidem potest Hermas infructuosam, operibus caritatis omnique virtute carentem. Qui in fide est perfectus, omnino est [3], deficientibus vero moribus Christo dignis, deficiat necesse est etiam fides, quae est radix totius vitae spiritualis, quae ipsa non modo prima est, verum, si urgere velis, unica bona actio reliquas omnes complectens. Quare solum nomen Christianum non sufficere neque oris mendacis confessionem justum reddere hominem, quum sit unanimis omnium doctorum et aetatum ecclesiae sententia, tum Hermae fuisse profitendum per se patet, ac valde miratus sum Lipsium, qui hanc quoque sententiam inter Judaismi quamvis Christiani documenta duce Hilgenfeldo enumeravit [4]. Num exempli gratia

διακιβεργῶν αὐτούς. Οὗτος γάρ ἐστιν ὁ διδοὺς αὐτοῖς τὸν νόμον εἰς τὰς καρδίας τῶν πιστευόντων.

1) Cf. extrema adnot. anteced. verba. Non dicit *τῶν πιστευσάντων*.

2) mand. XII, 4: *θέσθε οὖν ὑμεῖς οἱ κενοὶ καὶ ἐλαφροὶ ἐν τῇ πίστει τὸν κύριον ὑμῶν εἰς τὴν καρδίαν.*

3) Cf. quae in pag. 26 adnot. 3 adnotata sunt.

4) Lipsius in »Ztschr. f. w. Theol.« 65. S. 274 sq. Extrema ejus verba (»dass das christliche Bekenntniss und das Beharren in tugendhafter Gesinnung und guten Werken einfach coordinirt wird« S. 275) ne accurate quidem referunt sententiam Hermae, quippe qui fidem ipsam, qua deficiente omnis confessio est mendax, inter virtutes primo loco posuerit.

de magistris illis simulantibus, qui carent fructu justitiae, qui, etiamsi prae se ferant nomen Christi, fide vacui sunt, neque ullum veritatis fructum exhibent, num Paulum apostolum putat aliter judicaturum fuisse, quam Hermam [1]? an de iis, qui ne falsa quidem docent, sed verba pia atque orthodoxa in ore habentes neque in corde gestant dominum, neque „operibus vivis" ornati sunt [2]? Num aliud omnino quam Hermae judicium ferri potest, qui vitae haud propiores quam morti tales esse dicit?

Atqui exstant aliquot loci, qui si labefactare non possunt omnia, quae adhuc protulimus, tamen suspicionem quandam movere possunt alienae de fide et operibus opinionis. Nonne enim fidem moresque prorsus separare videtur, quum superbos homines, inanem scientiam jactantes et praeceptorum munus affectantes, fideles quidem vocat, magnis autem vitiis imbutos et in magno salutis periculo versari dicit [3]. Si vero paulum processeris, leges eosdem, qui secundum quandam vocis significationem fideles appellari possint, non modo poenitentia indigere, cujus partem potissimam fidei corroborationem ducit Hermas, verum etiam fide nova, quasi antea non credidissent. *Ἐκ τούτων*, inquit, *πολλοὶ ἀπεβλήθησαν, τινὲς δὲ μετενόησαν καὶ ἐπίστευσαν καὶ ὑπέταξαν ἑαυτοὺς τοῖς ἔχουσι σύνεσιν.* Fidelium coetui addicti sunt, neque gentiles, neque Judaei vocari possunt, neque etiam iis, qui in capite antecedente depicti sunt, prorsus adaequandi sunt, quoniam neque in persecutione Christianos se esse negarunt, neque forsitan negaturi essent, si inciderent tali periculo. Tamen non sine fidei verae detrimento eos suis incidisse vitiis aperta verba declarant. Creberrima est apud Pastorem latior sententia vocum *πιστός*, sive *πιστεῦσαι*, aliarumque, quae hisce similes sunt; omnes enim qui audito evangelio et suscepto baptismo ecclesiae inserti sunt, non Christianos appellat, quod nomen perinde ac Christi ipsius tacet, sed

1) sim. IX, 19: *μὴ ἔχοντες καρπὸν δικαιοσύνης .... ὄνομα μὲν ἔχουσιν, ἀπὸ δὲ τῆς πίστεως κενοί εἰσι καὶ οὐδεὶς ἐν αὐτοῖς καρπὸς ἀληθείας.* Hic quoque non fructum aliquem veritatis et justitiae significat, qui sit aliud quiddam e veritate et justitia ortum, sed ipsam justitiam et veritatem in omni vita servatam.

2) sim. IX, 21. cf. pag. 21. adn. 3. pag. 22. adn. 4. 5.

3) sim. IX, 22: *πιστοὶ μέν, δυσμαθεῖς δὲ καὶ ἑαυτοῖς ἀρέσκοντες κ. τ. λ.*

πιστεύσαντας [1], sive vocatos [2] atque adeo invocantes nomen Dei [3]. Ne electorum [4] quidem vel sanctorum [5], vel servorum Dei [6] nomina ad eos restringit, qui immoti in fide perseverant, quamquam aliquoties strictiore sensu accipiat hasce voces. Etiam adulteram mulierem *πιστὴν ἐν κυρίῳ* dicit (mand. IV. 1), nec tamen fidem servari posse putat in extremis peccatis, verum ecclesiae adscriptam esse mulierem dicere voluit. Quantopere autem in usum, si verbo uti licet, technicum abierit vox *πιστεῦσαι* ii loci demonstrant, quibus eos qui fide vera carentes ecclesiae se insinuaverunt, qui baptismum quidem acceperunt et nomen filii Dei, nec tamen per portam, quae est Christus, neque per manus virginum in turrem ingressi sunt [7], simulatorie credidisse dicit [8]. Similem contradictionem in adjecto adhibitam inveneris in sim. VIII, 6: *ὧν δὲ εἶδε (sc. ὁ ϑεὸς) τὴν δολιότητα καὶ πονηρίαν μελλόντων ἐν ὑποκρίσει μετανοεῖν ἐκείνοις οὐκ ἔδωκε μετάνοιαν.* Poenitentia vel fides, quae simulationis arguitur, non est nisi abusive dicta. Eodem modo res sese habet in loco praeter ceteros laudato (sim. VIII, 9). Postquam in capite superiore eos depinxit scriptor, qui plus semel prodiderunt dominum, pergit ad eos, qui ecclesiae addicti postea propter divitias iterum priori gentilium societati se implicuerunt nimis, *ἀπὸ δὲ τοῦ ϑεοῦ οὐκ ἀπέστησαν, ἀλλ'*

---

[1] Cf. praesertim initia capitum 19 sqq. in sim. IX et mand. IV, 3: X, 1 et ea quae [illegible] in pag. 31 adnot. 1

[2] *οἱ κεκλημένοι* sim. VIII. 1. 6. 11.

[3] sim. IX. 14: *ἐσπλαγχνίσθη ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα αὐτοῦ.* Non vere fideles dicit, sed eos, qui peccaverunt adversus Deum et jam corrupti spem omnem vitae abjecerunt.

[4] vis. II. 1. 2. 4 extr. III. 5. 9. extr.

[5] vis. II, 2.

[6] Cf. pag. 37.

[7] sim. IX, 4. Hos quoque sicuti eos, qui postea demum a domino turrim visitante ejiciuntur, baptismo imbutos esse apparet, quum per tempus aliquod turri inserti essent, ita ut angelos quoque aedificantes lateret animus eorum perversus; sed per filium Dei non intraverunt (cp. 12), quod non fit nisi baptismo cum fide accepto.

[8] vis. III, 6: *οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς ἀνομίας· ἐπίστευσαν δὲ ἐν ὑποκρίσει καὶ πᾶσα πονηρία οὐκ ἀπέστη ἀπ' αὐτῶν.* Quamvis errasse aliquoties viros doctos promiscuo hujus visionis et similitudinis nonae usu bene sciam, nullus tamen dubito, quin in hac re possint conjungi.

ἐπέμειναν τῇ πίστει, μὴ ἐργαζόμενοι τὰ ἔργα τῆς πίστεως. Non fideles hos appellat ne latiore quidem vocabuli sensu, sed fideles quondam redditos [1], a saeculo ad ecclesiam transgressos. Quod vero perseverasse eos in fide dicit, facile intelligitur e contrarietate generis ante descripti, e vi locutionis *ἀποστῆναι ἀπὸ τοῦ ϑεοῦ* ubique perspicua, quippe quae usitata Hermae sit lapsus in persecutione significatio [2], e verbis denique in hos ipsos homines adhibitis: *κατέλιπον τὴν ἀλήϑειαν.* Omnem igitur fidem, quae nomine digna sit, derogat; inter opera illa fidei, sicuti supra demonstrasse mihi videor, est unum illud fidei opus i. e. fides ipsa omnisque vita nomine Christiano digna. Qua carent homines illi, etiamsi defuerit occasio vel necessitas extrema prodendae fidei.

Eodem fere loco habendi sunt ii, qui in mand. X (c. 1) sine ullo veritatis studio fidem accepisse neque quicquam intelligere rerum divinarum dicuntur [3]; si totum caput perlegeris, etiam timorem verum Dei et directionem cordis ad Deum deesse iisdem inveneris. Longe vero alii sunt ii, quos fidem quidem accepisse, sed immansisse quibusdam operibus illegitimis dicit (sim. VIII, 10), quippe quibus non desit verus Dei amor fructusque caritatis erga Dei servos. Sicuti libenter gestarunt semper nomen sanctum, sic etiam ad unum omnes audita Pastoris praedicatione statim exuerunt illas res, quas ob ignorantiam potius, quam ob pravam voluntatem retinuisse videntur. Alia etiam est sententia in visione III, 6, ubi pretiosorum lapidum imagine depingit eos, qui fidem habentes Deo utilissimi reddi possunt amissis divitiis, quae prohibent adhuc, quominus totos se dedant Deo. Sincera et vera est fides eorum hominum sed finem perfectionis a Deo jam praevisum nondum asseculi sunt, jam fere similes sunt junioribus illis, in fide, admonitione aliqua adhuc indigentibus [4], vel iis qui quamvis „boni et fideles et praeclari coram Deo" parvis quibusdam

---

[1] *πιστοὶ μὲν γεγονότες, πλουτήσαντες δέ.*

[2] Etiam in vis. II, 3; III, 7; sim. VIII, 10 haec verba persecutionem spectant, et ubicunque *ἀποστάτας* memorat scriptor.

[3] *Οἱ μηδέποτε ἐρευνήσαντες περὶ ἀληϑείας μηδὲ ἐπιζητήσαντες περὶ τῆς ϑεότητος, πιστεύσαντες δὲ μόνον.*

[4] vis. III, 5. Longum est refellere, quae Hilgenfeldus et Lipsius invicem sibi adversantes de hoc loco protulerunt.

cupiditatibus indulserunt, quorum tamen vix unus peribit (sim. VIII, 19).

Demonstrasse mihi videor, quod erat demonstrandum, Hermam nusquam secum pugnare in describenda fidei virtute. Etiamsi ipso vocabulo aliquoties *καταχρηστικῶς* utatur, ubique tamen fidem vere dictam tamquam instrumentum accipiendae omnis gratiae salutisque, quasi radicem omnium actionum bonarum et compendium vitae Deo dignae praedicat. Quam doctrinae speciem ex epistola Jacobi haurire non potuit. Qui totam epistolam memoriae tradidisse et per tota sui libri capita illius sententias referre nobis visus est, legit sane et comprobavit etiam ea, quae de fide et operibus, de lege regia libertatis exposuit Jacobus. Quae omnia si reprobasset, vix praeter ceteros libros sacros hunc in deliciis habuisset. Eo magis igitur mireris, quod horum Jacobi locorum nihil fere reperitur apud Pastorem. Increpare quidem eum vidimus cum Jacobo homines nomen Domini gestantes ac simul dedecore afficientes; quae de firma fidei fiducia et inconstantia incredulorum dicit, in memoriam revocabant aliquoties Jacobi epistolae exordium; similes etiam sunt ii, quos dominum in ore habere dicit Hermas, hominibus illis, a Jacobo (II, 14 sqq.) impugnatis, dicentibus se habere fidem, nec tamen veram habentibus, quae placuerit Jacobo; verumtamen neque repetit Hermas speciem argumentationis a Jacobo adhibitae, neque ex aliis Jacobi dictis explicari possunt ea, quae Pastor exhibet de fide cum operibus arctissime conjuncta. Ut singula paucis recenseam, ne paululum quidem, sicuti Jacobus fecit, in dubio relinquit, an fides esse possit, quae bene non operetur; verum iis, qui solum nomen Christi sive superbo sive perfido animo gestant, omnino deesse dicit, quod hominis Christiani proprium est, dominum videlicet in corde habitantem (sim. IX, 24; mand. XII, 4). Veritatem ipsam reliquisse docet eos, qui opera fidei[1]) non praestant; fide ipsa penitus vacuos esse, qui carent fructu veritatis justitiaeque[2]).

---

[1]) sim. VIII, 9; cf. vis. III, 8. *τὰ ἔργα τῆς πίστεως*, quae locutio prorsus eadem non exstat apud Jacobum. Cf. tamen Jacob. II, 17, quamquam diversitas patet.

[2]) sim. IX, 19. Vocem *καρπὸς δικαιοσύνης* inveneris quidem in Jac. 3, 18, sed alii nexui insertam; *καρπὸς ἀληθείας* Hermae proprium est.

Non „fidei mortuae“[1]) notionem adhibet, sed „operum mortuorum“ (sim. IX, 21); non fidem operibus adimpleri docet (Jac. 2, 22), sed fidem implere omnia (mand. IX), vivere et immanere in omnibus virtutibus, quarum mater sit ipsa, ita ut, quum Jacobo opera quasi anima fidei alias mortuae esse videantur, Hermae fides potius actionum omnium anima sit. Justificationis denique vocem, qua rarissima utitur Hermas[2]), nusquam cum Jacobi formula conjunctam inveneris.

Luce ergo clarius est, Hermam, si putasset Jacobum impugnare fidei quamvis verae sufficientiam ad impetrandam salutem, atque si Jacobo duce contra Pauli vel Paulinorum doctrinam defendere voluisset sententiam contrariam, non potuisse opponere sententiae Jacobi (II, 14: *μὴ δύναται ἡ πίστις σῶσαι αὐτόν;*) in hanc partem intellectae, suam toto coelo differentem hanc: *διὰ τῆς πίστεως σώζονται οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ*[3]). Quodsi vero ita scripsit, neque ideo minus dilexit epistolam Jacobi, constat profecto, alienum eum esse a tali hujus epistolae interpretatione et ab omni illa altercatione, quae inter Paulum apostolum et homines pharisaeos potius quam Christianos olim orta jampridem cessaverat in ea certe ecclesiae parte, in qua Hermas didicit et docuit evangelii veritatem. Quum autem et in iis, quae tractavimus doctrinae partibus, et in reliquis omnibus multa insint, quae longe aliam disserendi speciem praebeant, quam Jacobi epistola, in qua tamen comparanda cum Pastore cognovimus, quantam habuerint vim atque auctoritatem scriptori nostro literae sacrae, non incassum laborare nobis videmur, alias quoque apostolorum epistolas cum Pastore collaturi.

---

[1]) Inter omnes, qui cum veri aliqua specie huc trahi possint, locos, vel primum ausim dicere mand. 7, in quo etiamsi ter quaterve timori Dei tribuatur studium et facultas implendorum mandatorum, tamen versus finem praeceptorum observatio juxta timorem ponitur, et distinguitur timor quidam naturalis, qui est omni creaturae, expers operum bonorum, a vero timore Dei et efficaci; quibus tangit fortasse Hermas locum Jacob. II, 19.

[2]) Ter, si bene scio, sim. V, 7; mand. V, 1 extr. In vis. III, 9 ita adhibetur, ut sit idem fere quod *ἁγιάζεσθαι*, quocum conjunctum est.

[3]) Cf. pag. huj. diss. 27 adnot. 1.

Caput alterum.

Petri epistolam priorem Hermae notam fuisse, quum ante omnem inquisitionem verisimile videbitur cuique, qui Clementis epistolam, ex eadem ecclesia Romana ortam Hermaeque notam, plus semel Petri sententias annuere cognoverit, tum satis accurate demonstrari posse videtur, neque exiguam inde explicationem acquisituros nos esse confidimus Pastoris locis nonnullis obscuritate eximiis.

Ut a minore re initium capiam, nescio quomodo viri docti, quantum scio, omnes, quotiescunque Hermas cum parvulorum natura comparavit simplicitatem et innocentiam quorundam hominum, ad verba domini respexisse eum putaverint sive e Matthaei 1) sive e Marci 2) evangelio sumpta. At longe alio modo rem sese habere facile demonstratur. In utroque enim sermone Christus neminem intrare posse dicit in regnum Dei, nisi susceperit regnum animo parvulis simili 3), vel iterum reverterit ad infantiam 4). Non innocentiae purique animi imaginem ostendit in parvulis, sed humilitatis 5). Quamquam infitiari nec volo nec possum, Hermam nosse evangelia priora tria et hos quoque Christi sermones legisse vel audivisse, atque adeo inesse etiam iis, quae jam sum prolaturus, parva quaedam hujus scientiae documenta, tamen contendo, longe alium ejusdem dictionis usum didicisse eum ex loco 1 Petr. 2, 1 sq., cujus loci sententiam et vocabula peculiaria repetit et pro sua consuetudine dilatat, quotiescunque infantium naturam adhibet ad explicandam ignorantiam quandam mali paene nativam vel certe virtutem in naturam jam conversam 6). Lectores ipsi viderint, ac primum qui-

1) Matth. 18, 3 sq. apud Dressel. ad sim. IX, 31. Hilgenf. Apostl. Vtr. 183. n. 5. Cf. in marg. ed. sim. IX, 29. 31.

2) In hac re Koestlino Hilgenf. ap. V. 183. n. 7. et 184. adn. 1. parum adversatur.

3) Marc. 10, 15. Luc. 18, 17.

4) Matth. 18, 3.

5) Matth. 18, 4. Marc. 9, 35 sq. Luc. 9, 47 sqq.

6) Levius attingi eandem fere sententiam a Paulo (1 Cor. 14, 20) scio: unde quominus ducam Hermae et Papiae (pag. insequ. not. 2.

dem animadvertant haec: *Ἁπλότητα ἔχε καὶ ἄκακος γένου καὶ ἔσῃ ὡς τὰ νήπια τὰ μὴ γινώσκοντα τὴν πονηρίαν τὴν ἀπολλύουσαν τὴν ζωὴν τῶν ἀνθρώπων. Πρῶτον μὲν μηδενὸς καταλάλει μηδὲ ἡδέως ἄκουε καταλαλοῦντος κ. τ. λ.* Totum mandatum alterum, in cujus exordio haec exstant, simplicitatem et ignorantiam mali, quas res duas saepissime conjungit 1), ita commendat, ut maledicentiam innocentiae illi contrariam vetet et ad beneficentiam cohortetur. Nonne sexies adhibitae voces *καταλαλία* et *καταλαλεῖν* eandem vocem apud Petrum in eodem verborum nexu obviam revocant? nonne *ἁπλότης* repetit vocabula *πάντα δόλον* et *ἄδολον*? nonne *ἀκακία* illa etiam *πᾶσαν κακίαν*? Quid, quod eandem *ἀκακίαν* non modo apud Hermam ubique cum descriptione parvulorum conjunctam observamus, verum etiam Papias et antiquissimus quisque scriptor ecclesiasticus hanc vocem adhibuit ad explicandam infantiam *πνευματικῶς* dictam 2). Omnes secuti sunt Petrum, qui unus inter scriptores sacros incorruptam „infantium modo genitorum“ sinceritatem tanquam exemplar imitandum Csristianis expresse proposuit. Si vero vocabulum *βρέφη* desideras, *νήπια* videlicet vox vicinior est huic, quam ei, quod praeter unum Lucae locum (18, 15 sqq.), omnes evangelistae in hac re usurpant (*παιδία*). Sed ipsum, quod desideras, habes in sim. IX, 29 ter adhibitum, quin etiam iterum conjunctum cum *κακίας* (bis), *ἀκακίας*, *πονηρίας* vocabulis. *Ὡς νήπια βρέφη εἰσίν, οἷς οὐδεμία κακία ἀναβαίνει ἐπὶ τὴν καρδίαν οὐδὲ ἔγνωσαν τί ἐστιν πονηρία, ἀλλὰ πάντοτε ἐν νηπιότητι διέμειναν . . . . Μετὰ νηπιότητος διέμειναν πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς αὐτῶν ἐν τῇ αὐτῇ φρονήσει. Ὅσοι οὖν διαμενεῖτε φησὶ καὶ ἔσεσθε ὡς τὰ βρέφη, κακίαν μὴ ἔχοντες, πάντων τῶν προειρημένων ἐνδοξότεροι ἔσεσθε· πάντα γὰρ τὰ βρέφη ἔνδοξά ἐστι παρὰ τῷ*

locutiones quum aliis rebus prohibeor, tum scientia dissimilitudinis cujusdam exiguae quidem attamen nonnullae, quae Pauli cogitationem separat a Petri, Hermae, Papiae dictis.

1) Voces *ἁπλότης* et *ἀκακία* in utraque virtutum enumeratione vis. III, 8: sim. IX, 15 conjunctae sunt. Cf. vis. I, 2 extr. II, 3 extr.

2) Maxim. conf. in oper. Dion. ed. Cord. I, p. 32: *Τοὺς κατὰ θεὸν ἀκακίαν ἀσκοῦντας παῖδας ἐκάλουν ὡς καὶ Παπίας δηλοῖ βιβλίῳ πρώτῳ τῶν κυριακῶν ἐξηγήσεων καὶ Κλήμης ὁ Ἀλεξανδρεὺς ἐν τῷ παιδαγωγῷ. —.*

θεῷ καὶ πρῶτα παρ᾽ αὐτῷ. Μακάριοι οὖν ὑμεῖς, ὅσοι ἂν ἄρητε ἀφ᾽ ἑαυτῶν τὴν πονηρίαν, ἐνδύσησθε δὲ τὴν ἀκακίαν.

Dubius non sum, quin ad formandam hanc dicendi rationem atque ordinem paululum etiam dicta Jesu tribuerint, imprimis ea, quae a Matthaeo (18, 10) relata sunt, quod clarius perspicitur e simil. IX, 31 [1]), attamen non puto inde labefactari, quae antea affirmavi.

Ad aliam rem pergo. Ter in visionibus tertia et quarta occurrit locutio, quae primam mihi movit suspicionem, legisse Hermam Petri epistolam. Comparatis enim inter se, quae jam exadverso ponam, eo certior videbitur hujus epistolae scientia, quo notius est, quantopere amaverint veteres ecclesiae doctores eos ipsos veteris testamenti locos adhibere, quos ab apostolis adhibitos vidissent, Hermam autem vix ullum veteris testamenti locum perstringere.

Psalm 55, 3.	vis. III, 11.	vis. IV, 2.
ἐπίρριψον ἐπὶ κύριον τὴν μέριμνάν σου.	*ἑαυτῶν τὰς μερίμνας οὐκ ἐπερρίψατε ἐπὶ τὸν κύριον.*	*τὴν μέριμνάν σου ἐπὶ τὸν θεὸν ἐπιρρίψας.*

ibidem:	1 Petr. V, 7.
ἐπιρρίψαντες τὰς μερίμνας ὑμῶν ἐπὶ τὸν κύριον, καὶ αὐτὸς κατορθώσει αὐτάς.	*πᾶσαν τὴν μέριμναν ὑμῶν ἐπιρρίψαντες ἐπ᾽ αὐτὸν, ὅτι αὐτῷ μέλει περὶ ὑμῶν.*

Quarum sententiarum tertiam cum quarta maxime congruere patet, cui rei aliae quoque causae opitulantur. Non de privatis quibusdam curis agit Hermas, sed sicuti Petrus in l. l. (v. 7—9) de aerumnis, toti ecclesiae imminentibus quas et a Deo omnipotenti inferri (vis. IV, 2 extr.) docet et a vi quadam ecclesiae inimica et per Deum coercenda ideoque vere fidelibus non perniciosa. Etiamsi non diabolum ipsum imagine leonis rugientis depingat cum Petro, sed persecutionem magnam simili figura exprimat, negare tamen nolim, lusum quendam memoriae conjunxisse terribilem illam figuram cum Petri verbis periculum et

[1]) »Necesse est enim eos (i. e. natura bonos) intrare in regnum Dei: hoc enim genus innocuum benedixit dominus (Marc. 10, 14) . . Felices vos judico ego nuntius poenitentiae, quicunque innocentes estis sicut infantes, quoniam pars vestra bona et honorata apud Deum«. —

consolationem significantibus. Quod ut opiner eo magis adducor, quod secundum eam, quam supra aliquoties animadvertimus, consuetudinem Hermas in eodem hoc sermonis tenore non quidem ratione et consilio sed memoriae natura ductus alia etiam ejusdem ingenii prodit lineamenta. Nam in explicandis quatuor coloribus, quibus caput portenti coruscat, inter n. test. scriptores solum Petrum ducem habere videtur. Quum enim ceteris omnibus ignis sit irae Dei et judicii peccatores perdentis imago, Petrus unus veteris test. scriptores sequens afflictiones et persecutiones Christianorum et praesentes, quae sunt minores, et futuras, quae sunt pars diei novissimi, igni purgatorio comparat, quo fides eorum, auro similis, examinetur et comprobetur [1]). Nonne Petri verba ipsa agnoscimus haec apud Hermam legentes: *Τὸ δὲ πυροειδὲς καὶ αἱματῶδες, ὅτι δεῖ τὸν κόσμον τοῦτον δι᾽ αἵματος καὶ πυρὸς ἀπόλλυσθαι· τὸ δὲ χρυσοῦν μέρος ὑμεῖς ἐστὲ οἱ ἐκφυγόντες τὸν κόσμον τοῦτον· ὥσπερ γὰρ τὸ χρυσίον δοκιμάζεται διὰ τοῦ πυρὸς καὶ εὔχρηστον γίνεται, οὕτως καὶ ὑμεῖς δοκιμάζεσθε οἱ κατοικοῦντες ἐν αὐτῷ. Οἱ οὖν ἐμμείναντες καὶ πυρωθέντες ὑπ᾽ αὐτοῦ καθαρισθήσεσθε· ὥσπερ γὰρ τὸ χρυσίον ἀποβάλλει τὴν σκωρίαν αὐτοῦ, οὕτω καὶ ὑμεῖς ἀποβαλεῖτε πᾶσαν λύπην.* (cp. 3). Non quaestio nobis est de altera Petri epistola, cujus memoriam aliquam verba in initio posita indicare videri possint; prioris saltem testimonia exstant etiam alia, eaque graviora. Non magni facio, quod sicuti in hac visione (IV, 1) per totum etiam librum creberrima occurrat significatio non virorum munere aliquo divino fungentium sed Christianorum omnium tamquam servorum Dei [2]), quum praeter Petrum (1 Petr. 2, 16) Joannes quoque in apocalypsi (7, 3; 22, 3. 6) in hunc modum scribat [3]); neque gravius mihi videtur, quod precationes et beneficia in pauperes collata et jejunium cum beneficentia conjunctum sacrificia vocat, quoniam communis priscae ecclesiae haec fuit locutio, in vete-

[1]) 1 Petr. 1, 6 sq.; cf. 4, 12. Vix contuleris Apoc. 3, 18, minus etiam 1 Cor. 3, 12 sq.

[2]) vis. I, 2 (bis): mand. III; IV, 1. 5; V, 2; praesertim mand. VIII. XI. — sim. IX, 19. 20. 24. 26. 27.

[3]) Aliorum locorum (Apoc. 11, 18; 19, 2; Actor. 4, 29; 16, 17) ambigua est interpretatio.

rum prophetarum eloquiis fundata [1]). Verum enimvero haud scio, an Petrum sequatur, veteres quoque prophetas virosque justos, qui ante Christum natum fuere, virtute filii Dei indutos esse docens [2]); an perinde sententiam Petri (1, 20) quodammodo tangat noster in sim. IX, 12 hoc modo exponens discrimen Christi nondum nati et incarnati: Ὁ μὲν υἱὸς τοῦ θεοῦ πάσης τῆς κτίσεως αὐτοῦ προγενέστερός ἐστιν . . . ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν τῆς συντελείας φανερὸς ἐγένετο, quamquam non modo temporis definitio, verum etiam novae portae jam in filio Dei patefactae significatio melius fortasse ex epistola ad Hebraeos data ducitur, ex qua multa gravissimaque argumenta excerpsisse Hermam infra demonstrabimus [3]). Petri autem verba in memoriam revocant etiam haec: διὰ τί οὖν ἐφ' ὑδάτων ᾠκοδόμηται ὁ πύργος, ἄκουε, ὅτι ἡ ζωὴ ὑμῶν δι' ὕδατος ἐσώθη καὶ σωθήσεται [4]). Eam vero quam de annuntiato apud inferos ab apostolis evangelio et de baptizatis per eosdem patriarchis

---

1) 1 Petr. 2, 5. Hebr. 13, 15 sq. Phil. 4, 18. Apoc. 8, 3. Actor. 24, 17. Cf. mand. X, 2 (ter); sim. V, 3. Jejunium solum vocatur λειτουργία (Rom. 12, 1?), cum beneficio conjunctum θυσία δεκτὴ παρὰ τῷ θεῷ.

2) Cf. 1 Petr. 1, 11 (τὸ ἐν αὐτοῖς πνεῦμα Χριστοῦ) cum sim. IX, 15, adhibitis iis quod in pag. 24 sq. huj. dissert. disputavimus.

3) Quoniam hanc nostram disputationem hoc quidem tempore ad finem perductum non iri perspicio, pauca jam indico, ne audacius quam verius dixisse videar. Animadvertas imprimis haec: Hebr. 1, 1. ἐπ' ἐσχάτων τῶν ἡμερῶν cp. 9, 8 μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδόν (cf. supra dicta). — cp. 10, 19 sq. τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ (cf. sim. IX: 12: αὕτη μία εἴσοδος πρὸς τὸν κύριον), ἣν ἐνεκαίνισεν ἡμῖν ὁδὸν πρόσφατον καὶ ζῶσαν διὰ τοῦ καταπετάσματος τουτέστιν τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ ἱερέα μέγαν ἐπὶ τὸν οἶκον τοῦ θεοῦ (cf. sim. IX, 2: ὡς πρόσφατος δὲ ἐδόκει μοι εἶναι ἡ ἐκκόλαψις τῆς πύλης. — c. 12: διὰ τοῦτο καινὴ ἐγένετο ἡ πύλη . .). Etiamsi Joannis libros Hermae notos esse negare nolim (cf. etiam Th. Keim in libro »der gesch. Christus« p. XVI), conjunxisse saltem cum cum Joannis sermonibus (10, 7 sq. 14, 6) hujus epistolae sententiam haud infitiaveris. Etiam »domum Dei« patefieri hac porta dicit noster (sim. IX, 13 extr. et 14), quam rem eo majore cum fiducia ex epistola ad Hebr. data derivare ausim (cf. 1 Petr. 4, 7), quum ἁγίασμα quoque appellet hunc locum coelestem (vis. III, 2) et altare ibi exstructum esse putet Hermas (sim. VIII, 2. cf. mand. X, 2).

4) Vis. III, 3 cf. 1 Petr. 20b. sq. Cf. etiam vis. I, 3 extr. cum 2 Petr. 3, 5–1[illegible].

protulit sententiam (sim. IX, 15. 16), miram sane et ante Hermam a nemine pronuntiatam, e sola Petri epistola haurire vix potuit, quippe quae in primo qui allegari solet loco, Christum ipsum si quem omnino ad inferos descendisse et mortuis, nec vero justis hominibus, sed summa culpa obrutis praedicasse doceat (1 Petr. 3, 19), in altero autem, quomodo et per quem annuntiatum sit mortuis evangelium, non indicaverit (4, 6). Animadvertendum etiam est, Irenaeum, quotiescunque hanc praedicationem ab omnibus priscae ecclesiae doctoribus creditam, a Marcione quoque in suum commodum contortam (Iren. I, 27, 3), perstrinxit vel tractavit, neque apostolis hoc praedicandi munus tribuisse, nec Petrum laudasse [1]). Prophetae potius cujusdam sententiam, a Justino martyre jam adhibitam (dial. c. Tryph. c. 72) et, sicuti ille putaverat, a Judaeis e sacra scriptura sublatam, quam frustra adhuc quaesiverunt viri docti, ad confirmandam hanc opinionem usurpavit, adhibita etiam Pauli ad Ephesios epistola [2]). Ii vero, qui post Hermam eandem atque ille defenderunt opinionem, Clemens videlicet Alexandrinus et Origenes, ex Pastore acceperunt [3]). Quae quum ita sint, etiamsi concedam Petri epistolam, quam notam gratamque fuisse Hermae quum demonstrasse tum demonstraturum me esse confido, fulsisse singularem istam sententiam, tamen neque hinc neque ex epistola ad Ephesios, neque e loco illo apocrypho ortam esse contendo. Aliunde ergo explicanda est, nisi quis velit ad revelationes divinas ab Herma conceptas recurrere; nec dubito praejudicare — demonstrationis enim locus nondum exstat — niti totam doctrinam istam in ingeniosa aliqua loci Hebr. 11, 40 (cf. 12, 23) interpretatione, quae accedens ad communem illam veterum opinionem effinxit id, quod Hermae proprium est.

Antequam autem difficiliorem adeam inquisitionem earum rerum, quae et e Petri priore et e **Pauli ad Ephesios epistola** manasse videri possint, quaerendum est, an praeterea reperian-

---

1) Iren. III, 20, 4; IV, 22, 1; 33, 1. 12; V, 31, 1. Senior quoque ille, cujus longum sermonem servavit Irenaeus (IV, 27, 1—2) **Christo** tribuit praedicationem apud justos mortuos, nullum locum scripturae laudans.

2) IV, 22, 1; V, 31, 1: Eph. 4, 9.

3) Cf. Cotelerii et Hilgenfeldi adnotationes in sim. IX, 15. 16.

tur indicia, quibus Hermam epistolam ad Ephesios scriptam legisse et probasse demonstretur. Paulus quidem, cohortatus Ephesios, ut veritati, mansuetudini, probitati studeant (Eph. 4, 25: *ἀποθέμενοι τὸ ψεῦδος λαλεῖτε ἀλήθειαν κ. τ. λ.*), ita pergit: *πᾶς λόγος σαπρὸς ἐκ τοῦ στόματος ὑμῶν μὴ ἐκπορευέσθω καὶ μὴ λυπεῖτε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ, ἐν ᾧ ἐσφραγίσθητε εἰς ἡμέραν ἀπολυτρώσεως.* Nonne praeivisse videtur Hermam in mandato III haec dicentem: *ἀλήθειαν ἀγάπα καὶ πᾶσα ἀλήθεια ἐκ τοῦ στόματός σου ἐκπορευέσθω .... ἔδει γάρ σε ὡς θεοῦ δοῦλον ἐν ἀληθείᾳ πορεύεσθαι .... μηδὲ λύπην ἐπάγειν τῷ πνεύματι τῷ σεμνῷ καὶ ἀληθεῖ.* Intercedunt aliquot verba, sed ea quoque spiritum s. linguae peccatis injuria affici docent. Quid, quod in alio loco (mand. X, 2) quasi obstrictus apostoli verbis etiam atque etiam eadem repetit in hunc modum: *ἡ λύπη αὕτη λυπεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον .... (αὗται αἱ πράξεις) λυποῦσι τὸ πνεῦμα .... ἡ ὀξυχολία* [1]) *λυπεῖ τὸ πνεῦμα .... ἀμφότερα λυπηρά ἐστι τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ .... λυπεῖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ δοθὲν τῷ ἀνθρώπῳ ἱλαρόν· δεύτερον δὲ λυπῶν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ....*

Praetermitto, quod hic tractandum non est, in mandati hujus exordio imitari Hermam acrius sane quam felicius aliud Pauli argumentum; nec puto posse me persuadere iis, qui negant, baptismi velut sigilli descriptionem Hermam ex epistola ad Ephesios (1, 13; 4, 30) mutuatum esse, etiamsi praeter locum 2 Cor. 1, 22 non exstet in n. testamento, unde communis haec veterum locutio commode elici possit. Minoris etiam momenti res videatur fortasse cuipiam, quod cum Paulo inter n. test. scriptores uno certamen, quod Christianis est cum diabolo, luctationi comparat (mand. XII, 5); quod in eodem mandato, etiamsi verba *ἀντιπαλαῖσαι* et *καταπαλαῖσαι* ad hanc cogitationem minime adducere queant, arma memorat, quibus indutus quisque omnem pravam cupiditatem, diaboli filiam, fugare possit [2]).

---

1) Eandem Paulus in v. 26 aliis quidem verbis significavit.

2) mand. XII, 2: *σὺ οὖν ἔνδυσαι τὴν ἐπιθυμίαν τῆς δικαιοσύνης καὶ καθοπλισάμενος τὸν φόβον κυρίου ἀντίστηθι αὐταῖς .... ἡ ἐπιθυμία ἡ πονηρὰ ἐὰν ἴδῃ σε καθωπλισμένον τῷ φόβῳ τοῦ θεοῦ καὶ ἀνθεστηκότα αὐτῇ .... οὐκέτι σοι ἐφθήσεται φοβουμένη τὰ ὅπλα σου.* Cf. tamen 1 Petr. 4. 1.

Quibus quum nolim fortius insistere, bene sciens habere sua fata etiam cogitationes et sententiarum nexūs, aliam propono locutionem, quam, etiamsi similitudo non tanta esset, quanta est, eam solam ob causam aliunde depromptam esse suspicarer, quia intra modici spatii terminos quater paucis immutatis repetita est, quam rem solitam esse Hermae apostoli sententiam meditanti satis superque cognovimus. Ad describendam unitatem, ad quam perducuntur generis cujusque et indolis homines, fide ac virtute spiritus sancti in ecclesiam congregati, utitur quidem aliquoties verbis e sua ipsius similitudine ortis, turrim exempli gratia, quae est ecclesia, unum tamquam lapidem efficere dicens, multo vero saepius sic explicat hanc senteutiam: *Οἱ πιστεύσαντες .... ἔσονται εἰς ἓν πνεῦμα, εἰς ἓν σῶμα, καὶ μία χρόα τῶν ἱματίων .... καὶ ἦν αὐτῶν ἓν πνεῦμα καὶ ἓν σῶμα καὶ ἓν ἔνδυμα* (sim. IX, 13) [1]). Nonne mirum est, quod in hisce locutionibus priores duae partes, quae ad similitudinem explicandam nullo pacto pertineant, sibi constat scriptor, variat contra in ea, quae e similitudine manavit sine dubio? Immobilius igitur inhaeret scriptoris memoriae aliena quam sua ipsius cogitatio, quod quomodo fieri possit, nisi magna sit auctoritate illa ac trita scriptori diuturna consuetudine, haud intelligo. Pauli ergo sententiam celeberrimam repetit (Eph. 2, 4—5). Sed pergamus ad capita sequentia, in quibus ad eandem rem pertinent haec: *ἐπὶ τῷ ὀνόματι ἐκλήθησαν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· λαβόντες οὖν τὴν σφραγῖδα, μίαν φρόνησιν ἔσχον καὶ ἕνα νοῦν, καὶ μία πίστις αὐτῶν ἐγένετο καὶ μία ἀγάπη* [2]) *.... μετὰ δὲ ... τὸ γενέσθαι ἓν σῶμα* (c. 17) *.... καὶ ἔσται ἓν σῶμα τῶν κεκαθαρμένων .... ἔσται ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἓν σῶμα, μία φρόνησις, εἷς νοῦς, μία πίστις, μία ἀγάπη* (cp. 18). Quae omnia quum in oculos incurrant, ampliori demonstrationi omni supersedens, spero fore ut mecum persuasum sibi habeant

---

1) Cf. cap. 31: »et in uno spiritu efficiemini«, quae verba apud Antioch. hom. graece ita leguntur: *καὶ γενέσθαι ἓν πνεῦμα.*

2) Animadvertas »vocationis« mentionem apud Paulum quoque et antecedere et sequi corporis et spiritus unitatem (v. 1. 4), »caritatem« inveniri in v. 2, et »baptismum« Pauli (v. 5: *ἓν βάπτισμα*) agnosci posse in Hermae *σφραγῖδι*.

lectores non modo legisse Hermam Pauli hanc epistolam, sicuti Petri priorem, quamquam non tantopere adamaverit utramque, quam Jacobi libellum, verum etiam magnam eis tribuisse auctoritatem, eam nempe, quae apostolorum libris tribui solebat in ecclesia catholica.

Justa igitur et legitima est quaestio, quaenam intercedat doctrinae societas inter Pastorem et duas illas epistolas, etiam in gravioribus, quam quas adhuc attigimus, rebus. Paucae sunt adnotandae, sed satis magni momenti res. E tribus enim describendae ecclesiae generibus, quae in utraque epistola tam eximio modo adhibentur, ut una ex altera pendere videatur, duo quidem etiam apud Hermam ubivis occurrunt, immo potius omnes ejus visiones, similitudines, explicationes penetrant. Quorum disserendi generum unum ecclesiam velut aedificium depingit in Christo fundamento exstructum [1]; alterum ecclesiam Christi ex omnibus gentibus collectam honorum nominumque Israelis haeredem esse docet [2]; tertium autem Christianos esse cives ostendit civitatis coelestis, peregrinos in hoc mundo [3]. Quo genere postremo in epistola ad Ephesios tenuibus tantum lineamentis significato, alias tamen ab ipso apostolo diserte tractato [3a]), ita utitur Hermas, ut, si quem omnino, scriptorem epistolae ad Hebraeos [4]) imitetur. In prioribus duobus totus versatur ac quidem ita, ut a Petro potius, qui longe uberiorem exhibuit materiem, quam a Paulo edoctus esse videatur, quod quum facile quisque suspicatur, qui negligere Hermam permulta a Paulo ad Ephesios de ecclesia scripta cognoverit [5]), tum vero re ipsa demonstratur.

Ecclesiae imaginem ad aedificii instar effingere, commune quidem est omnium fere scriptorum et sacrorum et ecclesiasticorum, vario modo hanc rem tractantium. Alia enim est apud

1) 1 Petr. 2, 8 cf. Ephes. 2. 20. 1 Cor. 3. 11 sqq.

2) 1 Petr. 1, 1 sq. 15 sq. 2. 9 sq. Cf. Ephes. 1, 4. 14; 2, 10.

3) 1 Petr. 1, 1. 17; 2, 11. Ephes. 2, 6. 12. 19.

3a) Gal. 4, 26. Col. 3. 1. Phil. 3. 20.

4) Cf. sim. I (III. IV) cum Hebr. 11, 10. 16; 12, 22; 13, 14.

5) Corpus Christi nunquam vocat ecclesiam, corpori omnino non adaequat nisi in sententiis, quas e Pauli epistola excerptas esse supra exposuimus. Christi uxorem vel sponsam esse ecclesiam innuit quidem (vis. IV, 2), sed locum Eph. 5, 23 sq. non spectat. Cf. potius Apoc. 22, 17.

dominum ipsum hujus rei ratio, alia apud Paulum in ep. ad Cor. I., alia etiam in epistola ad Eph.; alia denique a Petro adhibetur, necnon in epistola ad Hebraeos et in apocalypsi Joannis diversa species est. Hermam vero imprimis Petri locutionem in animo habere, patet. Bis in libro suo imaginem hanc ad extremos usque fines exaravit, in vis. III et in simil. IX. Quantopere autem animo ejus inhaeserit, inde perspicitur, quod iis quoque libri partibus immiscuerit, in quibus alia valet allegoria [1]).

Quum autem in priore expositione (vis. III) obscuritas quaedam remaneat rerum nonnullarum, clariora et planiora exsistunt omnia in sim. IX, ex qua proficiscendum mihi videtur, non neglecta visione priore, quamvis non in omni re congruere inter se visionem et similitudinem bene sciam. — Turris ampla aedificatur ante Hermae oculos in magna planitie duodecim montibus cincta; exstruitur autem secundum consilium et voluntatem magni cujusdam viri, qui est filius Dei et turris possessor [2]), ab angelis ministrantibus, in saxo immensae magnitudinis, quod, etiamsi firmissimum sit, cavum esse necesse est [3]), quum porta insit, per quam intrans quisque non murum pertransit, sed in aedificium intrat, cujus partes omnes saxo illo splendido velut fundamento nituntur. Lapides, etiam primi illi in aedificium immissi, non sunt ipsi quasi fundamentum, vel pars fundamenti, immo primum lapidum ordinem efficiunt [4]). Turris est ecclesia, saxum autem illud vetustum, in qua nova porta est, est filius

1) sim. VIII. 2. 3.

2) sim. IX. 5—7.

3) Cf. etiam sim. IX. c. 2: *τετράγωνος ὥστε δύνασθαι ὅλον τὸν κόσμον χωρῆσαι.*

4) Sic enim secundum universae similitudinis rationem interpretanda sunt verba: *εἰς τὰ θεμέλια δέκα λίθοι ἐτέθησαν* (cp. 5 cf. 15). Nec nisi abusive semel *θεμέλιον τῆς οἰκοδομῆς* vocantur (c. 4.) nullam aliam ob causam, quam ut bene intelligat lector, non partem primi lapidum ordinis esse hos decem, sed totam cooperire saxi latitudinem ita, ut secundus jam ordo efficiatur lapidibus viginti quinque, qui sequuntur, tertius lapidibus triginta quinque, quartus quadraginta. Christus vero ipse est fundamentum unicum (cp. 14. extr.). Falsa igitur est Lipsii sententia. l. l. p. 272 ita posita: »Ja die Gerechten der ersten Generation werden geradezu als das Fundament des ganzen Baus bezeichnet (cp. 4. 5).«

Dei ante mundum quidem exsistens, at in fine temporum revelatus, cujus duplicitatis, quae in eo est, imago est saxi vetustas, portae novitas. Quum autem post patefactam demum portam aedificatio initium ceperit — omnes enim et primi et novissimi per portam ingrediuntur et super portam ponuntur a virginibus portae adstantibus [1]) — dubium non est, quin post Christi demum adventum et super filium Dei hominem factum fundatam esse novam ecclesiam putaverit noster. Si igitur alibi antiquitus conditam, immo ante omnem creaturam factam esse dicit [2]), nihil aliud sibi vult, quam in filio Dei, qui omni creatura sit antiquior, ab aeterno jacere fundamenta ecclesiae in extremis saeculi temporibus exstruendae. Quam vero novum et ab omnibus, quae ante Christum fuerunt, rebus sacris segregatum sit corpus Christianorum, expressius indicare non poterat Hermas, quam indicavit. Omnes enim etiam justissimos veteris foederis viros, Abelum puta et Noachum, prophetas servosque Dei omnes ante Christum natum et mortuum, ante apostolorum jam mortuorum ad ipsos descensum, ante auditum evangelium et acceptum una cum cognitione filii Dei sigillum baptismi ecclesiae non sunt adscripti. Quum apostoli, quamquam mortui, tamen vivi descendant ad inferos, illi contra, quamquam per totam vitam egregia ediderunt virtutis documenta spiritumque sanctum nunquam laeserunt, tamen morti vere sunt adstricti. Quamobrem exuant necesse est mortis conditionem (*τὴν νέκρωσιν ἀπέθεντο τῆς ζωῆς αὐτῶν*), opitulantibus evangelii praeconibus, antequam in coetum invisibilem ac spiritualem Christiani populi, cujus ipsi fuere praecursores imbuti gratia quadam praeveniente filii Dei, possint recipi (cp. 15. 16). In regnum Dei etiam hi intrare non possunt nisi per portam, per quam solam aditus patet ad Deum ex hominibus et angelis, i. e. per nomen filii Dei a patre amati, quo mortui vivificantur (cp. 12. 16).

Non historiam narrat Hermas, sed cogitationem exprimit. Quomodo enim, si alia ei esset opinio, apostolos post obitum et ad inferos descensum adscribi ecclesiae fingere posset, quum multo inferioris ordinis homines, qui postea etiam abjiciuntur ab

1) sim. IX, 3. 4 (*ἐπὶ τὴν πέτραν καὶ ἐπάνω τῆς πύλης*); cp. 14 (*ἐπὶ τὴν πέτραν καὶ ἐπὶ τὴν πύλην*). (Cf. denique universam similitudinem.

2) vis II, 4; cf. vis. I, 1 med. I, 3 extr.

aedificio propter prioris vitae ante baptismum peractae peccata remanentia vel reviviscentia, in hac vita degentes in turrim recipi dicat [1]); quomodo martyres propter martyrium, quo nemo ornatus est nisi mortuus, turri inserere posset, quum debiles et parvulos, qui commonitione quadam et correctione indigent, vivos, quales sunt, in turrim portari videat [2]). Itaque locus primus, quem honoris causa obtinent patriarchae, ob antiquitatem venerandi, non obstat ei, quae apertissima est, sententiae, ecclesiam prorsus novam esse sanctorum communionem, quam populum filii Dei vocat [3]). Non novum dicit populum sicut alii [4]), quoniam in hoc discrimine omnino non versatur, sed nomen Israelis imputat ecclesiae, quae per orbem terrarum diffusa est. Ecclesia Christi est gens justorum [5]), servorum Dei [6]), sanctorum [7]), electorum [8]), quibus opponuntur gentiles et proditores domini. Etiamsi aliquoties sensu strictiore accipiat hasce voces, ut eos tantummodo talibus nominibus ornet, qui digni sint et remanserint in fide et in communione sancta atque invisibili, plerumque tamen secundum apostolorum sententiam ecclesiae addictos cogitat omnes. Declinantes etiam a via salutari Dei et domini servos appellat, quoad populo filii Dei addicti sunt [9]). Quomodo autem ortus sit hic populus, bene explicat similitudo octava, de qua supra (p. 27 sq.) fusius disputavimus. Sub salicem immensam, quae est filius Dei per omnes terras annuntiatus, convenit ingens hominum multitudo, credentium in filium Dei et in corda recipientium legem vivam, quae nihil

1) sim. IX, 15 extr. 16. cf. cum 17 extr. etc,

2) vis. III, 5.

3) sim. IX, 18 extr.: *μετὰ τὸ τούτους* (reprobos) *ἀποβληθῆναι ἔσται ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ ἓν σῶμα . . . καὶ τότε ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ ἀγαλλιάσεται καὶ εὐφρανθήσεται ἐν αὐτοῖς, ἀπειληφὼς τὸν λαὸν αὐτοῦ καθαρόν.*

4) Barn. 5: *τὸν λαὸν αὐτοῦ καινὸν ἑτοιμάζων.*

5) sim. IX, 15 extr.: *τὸ γένος τῶν δικαίων.* — *οἱ δίκαιοι* vis. I, 4 II, 2. sim. III. IV.

6) mand. IV. VIII. XI. sim. IX, 19. 20. passim.

7) *οἱ ἅγιοι τοῦ θεοῦ* vis. III, 8. *πάντες οἱ ἅγιοι,* vis. II, 2.

8) *οἱ ἐκλεκτοὶ τοῦ θεοῦ,* vis. II, 1. 2. III, 5. 8. — *ἐκλεκτοὶ κυρίου* vis. III, 9 extr. — *τοῖς ἐκλεκτοῖς πᾶσιν* vis. II, 4 de ecclesiis etiam exteris.

9) Cf. dissert. huj. p. 29 sq.

aliud est quam Christus ipse per spiritum sanctum in fidelibus habitans. Quamquam multi sunt populi (*λαοί*), tamen unum efficiunt populum (*ὁ λαὸς οὗτος* (cp. 3. cf. 1), cui praeest Michael archangelus. Israelis locum obtinuisse ecclesiam hac quoque re Hermas illustrat, quippe quum Michael sit angelus Israeli praefectus [1]). Nunc vero novo populo praefectus videtur, eorum scilicet hominum societati, qui post Christum natum et per Christum praedicatum ad salutem vocantur et in ecclesiam congregantur, quae iisdem quibus mundus finibus continetur. Nec jam alia res ulla sufficit, neque opus est alia re ad adipiscendum locum in hoc populo Dei, quam ut credat quis in praedicationem filii Dei et ipsum in animum suscipiat veluti normam et vim vivendi.

Eandem ecclesiae notionem praebet duodecim virginum et duodecim montium numerus. At in explicandis montibus, unde lapides aedificio inserendi arcessuntur, multum altercati sunt theologi. Audiamus Pastorem ipsum fidissimum sane doctrinae suae interpretem. *Τὰ ὄρη*, inquit (cp. 17), *ταῦτα τὰ δώδεκα φυλαί εἰσιν αἱ κατοικοῦσαι ὅλον τὸν κόσμον.* Non articulo definit tribus illas, nec repetit numerum, qua utraque re opus erat ad significandum *τὸ δωδεκάφυλον* [2]); definitio vero, quam adjicit, omnes homines mundum incolentes indicat, quamobrem paulo post eosdem nuncupare potest *πάντα τὰ ἔθνη τὰ ὑπὸ τὸν οὐρανὸν κατοικοῦντα.* In iis, quae intercedunt inter utrumque dictum, ita ponit: *αἱ δώδεκα φυλαὶ αὗται αἱ κατοικοῦσαι ὅλον τὸν κόσμον δώδεκα ἔθνη εἰσίν*, quae verba in errorem inducere possint lectorem, quasi omnium, quae sub divo morantur, gentium numerum secundum numerum sacrum tribuum Israeliticarum arbitrario modo ad duodecim restrinxerit, rudi rerum

---

1) Cf. Hofmann, Schriftbeweis I, 337 sqq. 341 sqq.

2) Viderint lectores, quam falsa sit Hilgenfeldi sententia sic disputantis (Ztschr. f. w. Th. 1858 S. 437): »dass die 12 *φυλαὶ*, welche Israel bedeuten, immer noch wie in der Apokalyphe des Johannes Kern und Stamm der 12 *ἔθνη* der Gottesgemeinde sind«, et Lipsii eadem fere repetentis (l. l. 1865. S. 272): »dass Hermas ... diese 12 Berge auf die 12 *φυλαὶ*, welche Israel bedeuten, bezieht«. In immensam cresceret magnitudinnm hoc opusculum, si omnia refellere conarer, in quibus erasse mihi videntur hi duo viri docti; sunt enim fere omnia quae ad hanc rem pertinent.

veritate posthabita. Totum sane genus humanum, cui evangelium annuntiarunt apostoli, in duodecim tribus (*φυλαί*) vel gentes (*ἔθνη*) dividit; neque vero audito et credito evangelio in hunc numerum formantur hominum gentes, immo unum tunc efficiunt corpus sublata illa diversitate. Verum enimvero quoniam destinati sunt homines ecclesiae Dei, quae est heres Israelis populi, etiam priusquam fidem baptismumque susceperunt, in tot partes dividuntur, quot fuerunt tribus Israelitarum. Quae generis humani divisio non convenit cum naturali hominum in gentes, populos, civitates divisione. Neque enim eae res, quibus populi differre solent, linguae, mores, leges eam constituunt diversitatem, quam montium varietas depingit, sed varia animorum indoles nativa, morumque hominis cujusque diversitas, quae audito et credito evangelio ad mentis, fidei, amoris unitatem redigitur. Itaque voci *ἔθνη* haud secus quam voci *φυλαὶ* sensum tropicum tribuit, ac recte utramque, ubi primo ponit, articulo privat. Loco autem discriminis, quod est inter nationes, aliud ponit discrimen variorum naturae humanae generum.

Quam primam montium varietatis explicationem, disertis verbis propositam, bene scio ab Herma ipso nimis turbari in iis, quae sequuntur capitibus. Sed talis est mos hujus scriptoris. Inde a capite 19. ad eandem montium et saxorum diversitatem ea etiam refert discrimina, quae post fidem verbo Dei habitam, acceptumque sigillum inter Dei servos in una illa justorum gente exsistunt. Jam respondent montibus duodecim totidem genera Christianorum fide ac virtute differentium. Dicuntur quidem in exordio singulae cujusque explicationis, id quod convenit et cum similitudine ipsa et cum explicatione prima universam rem spectante (cp. 17), „ii qui crediderunt e monte primo, altero, tertio“. Montes igitur sunt etiam hic imago generis humani, unde proveniunt et ad turrim transgrediuntur, qui ad fidem se convertunt. At in ipsis explicationibus vario montium colore atque indole gradus quidam fidei et virtutis Christianae exprimuntur. Qua una confusione nondum contentus semel etiam spinis tribulisque in monte nascentibus comparat homines, quorum propriae imagines sunt lapides e montibus arcessiti; atque adeo in eodem capite (c. 20) iterum commutans orationem homines nudis pedibus per spinas tribulosque ambulantes facit. Quae vacillationes quum sint leviores ac brevi evanescant, prior illa

quam dixi sententiae immutatio omnes penetrat explicationes. Cujus rei duae mihi videntur esse causae gravissimae. Prima quidem est mira quaedam Hermae de nativa hominum haud dixerim inclinatione, sed directione paene immutabili ad bonam malamve partem (sim. IX, 30; VIII, 6), quo fundamento satis firmo innititur Dei praescientia. Qua opinione imbutus, facile perductus est Hermas, ut discrima illa hominum nondum fidelium, quae retrusa paulum et exstincta videbantur conversione ac baptismo, reviviscere putaret inter homines jam fideles et ecclesiae insertos. Quibuscum arctissime cohaeret altera causa, quod non eandem ubique vim tribuit actui, quo saxa in turri collocantur. Quum enim in visione III et similitudine VIII in turrim portentur vel ducantur homines nec conversionis tempore, neque aquae baptismalis instrumento, sed postquam certum quendam fidei gradum assecuti sunt, sive in hac vita degentes, sive morientes propter nomen domini [1], in similitudine IX primum quidem credentes omnes et baptizati eo ipso ecclesiae inserti, in turri scilicet collocati videntur; ipso conversionis actu ac tempore exuunt diversitatem naturalem, pravitatem omnem, atque induunt virtutem filii Dei; multi autem ex hoc statu recidunt ac reprobantur a domino turrim revisente [2], quorum tamen nonnulli poenitentia acta restituuntur. Sed in hac altera de eadem re disserendi specie, qua differt similitudo nona ab octava et a visione III, non constat sibi Hermas, sed in priorem relabitur. Namque absoluta explicatione eorum, qui, postquam inserti sunt „generi justorum", reverterunt ad malitiam ac reprobati sunt a domino turrim revisente (cp. 17 extr. 18), ad exponendam montium naturam tamquam ad novam rem progreditur (18 extr. sqq.); nec tamen dubium est, quin lapides e montibus

1) In vis. III, 5. ii, qui poenitentia indigent, nondum pervenerunt in turrim. sed praeter apostolos et martyres ii soli in turri collocantur, qui aut omnes Dei leges observarunt aut quamvis careant adhuc summa virtutis peritia tamen ab omni malitia puri dici possunt. Cf. vis. III, 1 extr. *οἱ ἤδη εὐηρεστηκότες τῷ θεῷ.* Planissima autem est in sim. VIII distinctio inter vocationem universalem et receptionem irrevocabilem, inter eos qui intrarunt in ecclesiam, vulgari sententia dictam, in populum filii Dei, et eos. qui in turrim immittuntur. quia *εὐηρέστησαν τῷ νόμῳ* (cp. 3).

2) cp. 6. 7. 13. 17 extr. 18.

sex prioribus et nono arcessiti, inter quos sunt ab omni vitae spe dejecti (cp. 19 exord.), si omnino fuerunt quondam in turri, reprobati sint a domino singulos lapides examinante; attamen in universa montium explicatione (cp. 19—29) non distinguuntur, qui antea fuerint in turri, qui remanserint, qui omnino nondum fuerint, neque visitationis illius ulla habetur ratio. Semel reprobationis fit mentio (*ἀπεβλήθησαν* cp. 22), sed non prioris illius a domino perfectae, sed extremae, quae a Pastore exigitur. Non remanendo in turri contraria est, sed poenitentiae. Fuisse in turri nemo fidelium dicitur. Neque enim velut repetitio rei quondam gestae describitur ingressus in regnum Dei eorum, qui poenitentiam egerunt [1], sed tamquam nova res omnibus, qui in hac vita morantur, posthac praebenda sive reneganda. Etiam optimi illi viri, omnis vitii expertes, omni virtute ornati non in turri esse, vel in regno Dei aperte dicuntur, sed adscriptos eos esse numero angelorum et cum liberis suis habitaturos esse apud filium Dei docet Pastor [2]. Nonne oblitus est Hermas ejus, quae in hac similitudine valet, sententiae et rediit ad priorem, quae in visione III et similitudine octava exposita est? Iterum collocatio in turri una esse videtur, ac turris ipsa ecclesia invisibilis, cui praeter mortuos apostolos, episcopos, martyres paucissimi sane inserti sunt, dum in hac vita degunt. Quo lapsu facto montium et totius temporis collocationem illam praecedentis natura necessario modo ita commutata est, ut supra vidimus Jam non significant montes genus humanum ad ecclesiam perducendum, praedicatione evangelii in unum corpus congregandum, sed eos homines, qui propter fidem quandam quamvis debilem vel etiam simulatam in ecclesiam recepti sunt, audiverunt certe evangelium. Haud contendo, sibi conscium fuisse Hermam hujus confusionis; quomodo enim fieri possit, ut quis sponte sua id faciat! Attamen rem ita ne

1) cp. 20: *οἱ τοιοῦτοι οὖν* (i. e. divites) *δυσκόλως εἰσελεύσονται εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.* Cf. cap. 12, in quo introitus per portam in turrim factus plus semel introitus in regnum Dei vocatur. Synonymae sunt voces.

2) cp. 24. 25. 27. Soli ii, qui e duodecimo monte orti sunt, aperte dicuntur esse in regno Dei, dum in hac terra versantur, nisi forte cum versione vulgata in cap. 29 legendum est: *ἀδιστάκτως κατοικήσουσιν ἐν τῇ βασιλείᾳ.* Cf. Hilgenf. adnotat. ad h. l.

habere demonstrasse mihi videor. Inde etiam perspicitur, quomodo postea praeter montes, quos totius generis humani instar esse sine ulla verborum ambiguitate primo affirmavit Hermas, et praeter mortuorum justorum domicilium, novum aperire potuerit thesaurum, unde recentes lapidum copiae ad implendas turris lacunas promantur. Risum justum moveret lectori prudenti, si Deum re vera transgredi docuisset fines totius generis hominum vivorum ac mortuorum ad complendum Christianorum numerum. Recte vero praeter montes alium locum quaerentem facit Deum, immutata sensim, sicut exposuimus, montium significatione. Sunt quasi latomiae exhaustae, fovearum speciem praebent, in quibus saxa nonnulla ad aedificationem adhibita olim sed rejecta jacent [1]. Quamobrem e planitie arcessendi sunt lapides; ex iis videlicet hominibus, qui nondum audiverunt evangelium et sigillum nondum acceperunt [2], eliguntur, qui compleant numerum servorum Dei lapsu multorum deminutum. Eos autem eligit Deus, quos firmos permansuros esse praevidet, ejus nempe indolis homines, quam natura ab omni paene peccandi facultate separavit. Sicuti duodecim montium numerus ac discrimen et in priore et in posteriore explicatione ab omni gentium ac terrarum discrimine abhorret, sic etiam planitiei vox ab omnibus ejusmodi cogitationibus segreganda est. Est imago eorum hominum, ad quos praedicatio salutaris non pervenit, sive Judaeorum sive gentilium, sive Romam urbem sive ultimam Thulen incolentium. E quibus omnibus eligit Deus eos, „qui boni nati sint et possint boni esse". Quamvis variet et vacillet Hermas in multis rebus ad ecclesiam pertinentibus, in hac re sibi constat, quod nullam omnino rationem habet ejus, quod inter Israelem gentesque est, discriminis, ecclesiam vero dicit coetum eorum omnium, qui, quacunque e gente terraque orti, evan-

1) Et ii lapides, qui in ipsa aedificatione ab angelis reprobantur (cp. 4), et ii, quos dominus, revisens turrim, ejicit, frustra admonet angelus poenitentiae (cp. 9), in montes, unde sumti sunt, reportantur.

2) Verba illa »qui crediderunt et qui credituri sunt« (cp. 30), iis qui e planitie afferuntur, non omnes lapides e montibus depromptos opponunt sed eos solos, qui e duodecimo monte orti sunt. His enim solis et iis, qui e planitie ad radicem ejusdem montis sita arcessuntur, laus competit innocentiae. Tamen, quod inter unum montem atque unam partem planitiei est discrimen, idem valet in universa hac re.

gelio vocati, baptismo imbuti, populo filii Dei adscripti sint remaneantque in gratia hisce instrumentis acquisita.

Facere igitur non possum, quin Ritschlio contradicam, qui nationes exclusis tribubus Israelitarum in harum loco positas esse ab Herma dixit [1]. Si haec ejus animo inhaereret cogitatio, non modo aedificii in saxo exstructi imaginem uberrime exposuisset, verum etiam Petrum dominumve ipsum secutus semel quidem dixisset, exstructam esse ecclesiam in saxo ab artificibus reprobato. Deinde πάντα τὰ ἔθνη (cp. 17) non eadem sunt ac τὰ ἔθνη, immo est haec generis humani significatio, qua extensior inveniri potest nulla. Ac sicuti Jesus discipulos omnibus gentibus evangelium annuntiare jubens non vetuit praedicationem ad Judaeos directam, sic etiam Hermas, quamquam ipsum e Judaeis ortum vel „loquela manifestum facit", Judaeorum ac gentilium discrimen prorsus negligit. Tantopere oblitus esse videtur veteris populi Dei et pristinae Israelitarum dignitatis jam exstinctae, ut ne nomen quidem populi sancti attingat, neque Messiae (ὁ χριστός) nomen, nec novum Dei populum dicat ecclesiam, nec novam legem eam, quae in filio Dei est. Et tamen sunt nova omnia, in filio Dei extremis saeculi temporibus revelati fundata.

Longum est nec vero difficile refellere sententias eorum, qui e similitudine V contrariam sibi finxerunt opinionem. Nec constant sibi, nec bene interpretantur, nec denique habent, quo demonstrent, hanc similitudinem, in qua nec domini nec populi Christiani naturae nec societati, quae inter utrumque est, explicandae operam dat scriptor, sed ad ilustrandam veri jejunii regulam Christo tamquam exemplari utitur, hasce potissimum pagellas „totius Hermae doctrinae quasi compendium esse [2]". Sed ut ita res sese habeat et in unam conjunxerit societatem veteris novique foederis ecclesiam, certe non Petrum secutus est nec Matthaei evangelium [3], sed Paulum Galatis unam Abrahamida-

1) Die Entst. der altkath. Kirche. 2. Aufl. S. 292.

2) Hilgenf. in proleg. ad Herm. p. XVII.

3) Lipsius, qui sermonem domini in ev. Matth. 21, 33 sqq. exhibitum allegavit, arbitrari videtur, accepisse Jesum velut rectam et sufficientem Pharisaeorum explicationem. Sed aliter rem sese habere facile demonstratur.

rum gentem esse demonstrantem (3, 7 sqq.) vel Ephesiis gratulantem, quod quamquam orti e gentibus ad civitatem Israelis jam pervenerint (2, 12. 19). Sed alienum esse Hermam ab hac disserendi de ecclesia specie, satis cognovimus.

Eam autem, quae adhuc exposita est, doctrinam singulari modo congruere cum Petri epistola priore, ex hac postrema quoque disputatione elucet. Quum autem legisse Hermam hanc epistolam supra demonstrasse mihi videar, nullus jam dubito, quin inde manaverit pars major sententiarum atque adeo vocabulorum ad ecclesiae naturam pertinentium. Omnes illas, quas in pag. 45 et 46 enumeravimus significationes, quae ecclesiam esse Israelis heredem ostendunt, nusquam tanta cum gravitate pronuntiatas et in unum collectas inveneris, quam apud Petrum (1 Petr. 2, 9—10). In ipsa etiam describenda turris aedificatione propius accedit ad Petri sententiam (1 Petr. 2, 4 sqq.), quam ad aliorum testamenti scriptorum cogitationes. Ut reliqua taceam, quibus differt exempli gratia imago a Paulo depicta [1], nonne Petri vivum lapidem, qui est Christus, imitatur Hermas, adjungens portae quae in saxo est virtutes illas filii Dei? nonne etiam Petrum sequens lapides saxo imponendos tamquam vita animaque praeditos describit? Voluntatem enim quandam eis tribuit ac plus minusve virium applicandi se ipsos ad opus perficiendum [2].

Sed est modus in verbis, sunt certi fines, ultra quos hodie nolim producere hanc disputationem, ne fastidio afficiat lectorem quum styli ruditas tum orationis loquacitas. Licet nesciam, quando et quomodo ad suum usque finem tractaturus sim materiem in fronte hujus libelli indicatam, tamen fasciculi prioris nomen inscribere hisce placuit, ne suffecisse mihi videar, qui dimidiam vix operis partem perfeci.

---

1) Cf. etiam quae in pag. 40 adnot. 4 disputavimus.

2) Cf. imprimis vis. III, 2 extr. Haud scio an recte animadverterit Lipsius (l. l. 274 in adnot.) distinguere Hermam inter eos, qui ipsi procedunt (ὑπάγοντες), et eos, qui portantur (ἀγόμενοι καὶ τιθέμενοι). Quamquam objici posse alios locos (sim. IX, 7. 8) non infitior.